CAMBRENSIUM CAROLEIA.

QUIBUS

Prȩcepta neceſſaria ad Rempublicam noſtram fœliciter *adminiſtrandum interxuntur:*

Opera & ſtudio Gulielmi *Vaugharni Militis.*

Athen. Oxon. Vol. I. pag. 450.

LONDINI,

Impenſis *Franciſci Conſtable*, in Cœmiterio S. *Pauli*.

1630.

AVGVSTISSIMÆ REGIÆ *MAIESTATI.*

Sereniſſime Rex,

REligioſi noſtri Concionibus & Votis deuotiſſimis, Nobiliſſimi Aulici Pompis & Attalicis veſtibus, Londinenſes Arcubus triumphalibus, Poetæ Lucubrationibus eruditis beneuolentiam ſuam in Auſpicium Regalium Nuptiarum exprimere contendunt. Inter hos, vt ſeruitium meum erga Regiam tuam Maieſtatem memorabili quodam munere ex Auſtrali *Nouæ Terræ* Plaga reportato pateſacerem, & ipſe Latino ornatu, licet incultus prodeo; vt qui nouo & noſtris temporibus pænè inaudito exemplo proprijs meis impenſis Colonias in Nouam Terram tranſportari & Prouinciam incultam *Cambriolæ* nomine inſigniri curauerim. Hinc *Orphei* Titulum iam vſurpo, & vna cum hoc Opere Poetico, quod Argonautici effigie illuſtrandum cupio, *Colchicam* noſtram *Cambriolam* Reipublicæ in poſterum profuturam Regali tuæ Protectioni humillimè ſubmitto. Non eſt aliud ſolertia & curis tuis magis dignum, quam Plantatio iſtius Inſulæ. Qua peracta, ne dubites, quin breuiſſimo tempore, nimirum intra ſeptennium Claſſes noſtræ Nauales mirum in modum accreſcent, & *Britanni* tui tantam vtilitatem ex Piſcium copia, quaſi Manna, Cultura terræ etiam addita, annuatim percipient, quanta Hiſpanis ex Aurifodinis in America prouenire poſſit.

Officium fidelis Serui iam præſtiti, me & mea pro tantis Cœptis propagandis tanquam ſacrificium oblaturus ad *Nouæ Terræ* aras, &

Ad pedes optimæ ſpei Regis

Gulielmus Vauhannus

Cambro-Britannus

oblaturus.

In Camerensium Caroleia à nouo Orpheo producta in honorem *Regalium Nuptiarum.*

I*udicium noſtrum quæris? mage digna* Senatus
Orpheus *arbitrio* Seria *docta canit.*
Sub Tædis *velas* Hymenæis *ardua : fraudes*
Diſcutis, & Patriæ *das documenta noua.*
Cum fuerim Rheni *vigil accola,* Seruus Elizæ,
Fulmina Blaſphem[illegible] *tonuere tua.*
Sal ſcriptis & ſcripta ſali ſic nexa fuere,
Vt bene compoſitæ conſona fila Lyræ.
Nec libros tantum profers; maiora capeſſis,
Vt Patriota *bonus, pragmata digna* Cedro.
Fauſta ſtruis pro Rege noui *primordia* Regni;
Auro ornas Claſſes, Connubijque Faces.
Colchidis *interea* Cambri *pro* vellere *velle*
Rex pius *accipiet. Macte labore tuo.*

Gulielmus Elueſton.

De *Colchide Cambriolâ omine* Caroleio illuſtrata, & impenſis *Authoris Cambrenſis* fundata.

C*Vm* Fratres *Paci præponere Bella* Madocus
Vidit, ad Externos *dicitur ire* Sinus.
Litibus hortatur perplexos, Arte Madoco
Vaughannus *maior quærere* Tecta Noua.
Si pariat plures eiuſdem Cambria *mentis*
Non foret inferior Colchidi Terra Noua.

Iohannes Guy.

In Cambriolæ Plantationem ab *Authore* inchoatam.

Q*Væ deſerta* Nouæ *quondam fuit* Inſula Terræ,
Curis & Muſis *nunc viget alma tuis.*
Si tot in Auſtrina *vixiſſem* Parte, *quot annos*
In Boreale, *magis* Pars *foret aucta tua.*
Sic probo Cambriolam : *quam* Colchida, *vt* Orpheus alter,
Iure vocas, Aurum *Terra Salumque dabunt.*

Iohannes Maſon.

AVLICIS ET IVRISTIS, QVI aliena deprædantur, aut ſpe lucri ad aliam Religionem confugiant:

Optat Vauhannus, *ſublato fraudis elencho,*
Vt mens in ſano corpore ſana regat.

ILle ego, qui *Muſas* in pubeſcentibus annis
Cogebam prelo bis reſonare melos:
Deſſuetas, poſt quinq; mihi iam luſtra reluſtro,
Vt *Regis* celebrent *Connubiale thorum.*
Quis niſi *Cambrenſis Cambrorum* gaudia promat?
Gaudia quæ referunt plebs numeroſa palam?
Ruſticus es Coridon Thameſinos inter alumnos,
Aulicus inculcat, *nec tibi danda fides.*
Non licet ad Cœlum ſine Petri clauibus ire;
Nec ſinè Palladijs Principis Aula patet.
Cambria terra rudis, Satyris, & idonea Capris,
Alpeſtris, ſimilis Cambriolaq; tua.
Gens tua Cauſidicis magis eſt prædonibus apta,
Nec tua de ſacro fonte Camœna ſapit.
O quam bile tument præcordia! *Regia Cambris*
Nonne patet? *Cambros* nonne fauore beat?
Hæc bene teſteris *magni, Wiliamſe, Sigilli*
Cuſtos, Iuridicum nate domare dolos.
Hæc bene *Pembrokiæ Comes,* hæc teſtetur & *Heros*
Mongomery, clarus *Frater* vterq; fide.

Non

Nec minus & teſtis mihi ſis, *Clariſſime Frater*,
Quam bene *Cambrenſis Regis* in aure ſonat.
Fortè, licet tenuis, mea Fama volauit ad *Aulam*,
Quam peperere *libri*, quam *Nova Terra* mihi.
In ſcrobe pro *Cambris*, ego *Regis* pace ſuſurrans
Ruſticus auriculis diſtichon hiſco tuis:
Cambria terra ferax, aliter non præda fuiſſet
Iuriſtis toties, æquivocante foro.
Rex Genus ex atavis ducit Cambrenſibus ipſe,
Offendunt nares nec data *Porra* ſuas.
Non *Thameſi* bonitate ſoli *Sabrina* ſecunda eſt;
Noſtraq; nec *Sacro* carmina fonte carent.
Quamvis Bruniſtæ non gaudeo nomine *puro*,
Laudo iocos *puros*, oſcula *pura* probo.
Non volvi, fateor, celeberrima ſcripta *Lutheri*,
Nec tua ſunt, *Vorſti*, Dogmata viſa mihi.
Iſta relinquo quibus placet impalleſcere chartis,
Aut quibus eſuries verba referre dedit.
Qualia tum profers, Proteu, cuiuſq; farina?
De certâ dubito Relligione tua.
Non ſum *Iudæus*, nam pernam diligo, ſumen,
Eſurienſq; nigrum farcimen, atq; lepus.
Non *Mahometis* amans, quia vini denegat vſum,
Scis, bene poſt potum metra *Poeta* canit.
Nec *Papiſta*; rubros ſulcos infindere tergo
Non amo; *Papa* cutem verberet ipſe ſuam.
Non lito *Reginæ Cœli*, nec miror *Anubin*:
Sit procul a noſtris fabula ficta modis.
Nec *Defunctorum* ſimulachris immolo gazas;
Me potius votis, *optime Chriſte*, tibi.
Sed mihi, *Muſa*, refer, cur lædunt organa noſtra
Effigiata *Deo* crimina plena dolis?

Cur

Præfatio ad Aulicos & Iuriſtas.

Cur Lis, Ambitio, Luxuſq; in dæuia mentes
  Arripiunt vmbris præſtigijſq; ſuis?
Expediam paucis: *tantorum cauſa malorum*
  Corporis eſt nimius cultus amorq́ ſui.
Hinc oritur ſumptus: veſtitus mille figuras
  Effingit *Sartor*, fercula mille *Coquus*.
Expleri nequit his gula luxurioſa, *Tobaccon*
  Mercurio tinctam captat emitq; truci.
Nec deſunt etiam tot nugis vina *venuſq́*
  Sic fera ſub dulci toxica melle latent.
Hinc Lachrymæ: miſerâ langueſcit *nummus* in arcâ,
  Non habet vnde fami ſeruiat, vnde ſiti.
Aulice, quid facies? fatuos emunge monetis;
  Nocte tonat, ſed *Sol* mane beare poteſt.
In lecto *Damon* vigili tibi ſuggerit actu,
  Si te Romano confiteare Patri:
O quàm fœlicem te ſummo tollet honore,
  Craſſa ſuperſtitio, donaq́ larga dabit.
Auro Numen ineſt; *Regalibus* imperat *Aulis*,
  Diruit, ædificat, curuaq; plana facit.
Allicit eximias, vt vis Magnetica, prædas,
  Proſtituens *Danaes* lactea membra ſeni.
Iuſtificare reos cupis? *Aurum* profer, & ipſos
  Gryllos Hyblaum mel ſapuiſſe putes.
Multa poteſt, animæ ſed neſcit hypocriſin *Aurum*
  Tollere, vel legum ſtigmata, ſiue dolos.
Defectus Fidei *litem*, lis excitat iram,
  Cogimur alterius mox inhiare bonis.
Sed melius *Nomen* portendit *Carolus* omen,
  Carolus alma *Charis*, Gratia, totus amor.
Si modo Iuridicos minuat, ſi temperet vrbis
  Luxum, ſi foueat Cambriolamq́ Novam.

Non

Præfatio ad Aulicos & Iuriſtas.

Non erit *Imperium* toto fœlicius orbe,
Nec frater fratris parta labore petet.
Dulcis odor lucri trahet ad commercia ſegnes,
Traxit vt *Hiſpanos* per freta vaſta maris.
Extera merx, ferrum, ſal, Piſces, Nautica creſcent,
Hæc & inempta breui, ſi Nova Terra fauet.
Dum ſudant omnes, opifex comitemq; laceſſit,
Eijcient fucos exitiale pecus.
Purius eſt corpus motu; ſic limpida *Stagno*
Immoto præſtat, quæ bene currit, aqua.
Otia corrumpunt, luxumq; negotia rumpunt,
Roſtra nec vndicolæ garrula litis amant.
Tum lare contentus modico, tenuiq; culinâ,
Rabula præfixæ munia ſortis aget.
Aulicus & ſpretis faſtu crapulâq; quieſcet,
Pſallens vota *Deo* pro *Grege, Rege, Fide.*
Veram quiſque *Fidem* tum complectetur amore,
Veridico tales fundet & ore ſonos:
Spiritus intus agit: vos ô Idola valete;
Fixa ſit in Chriſti ſanguine ſola ſalus.

CAM-



C Race
Trepaſsa
Glamorgan
Car: diffe
Vaughans Coue.
Butter pots
Rhenus
Formoſa
Ferriland
Caplin bay
C Broyle
Iles eſpere
B: of: Bulls
Pettit harbor
St Ihons
Torbay
C de pene
Bay St Maries
Pembrok.
Cardigan.
Brechonia.
Car: marthi
Cambriola
Golden groue
South Falkland
Aualonia
St George Caluert
Lord Baltimor de Baltimor
Fretum Placentiæ
Placentia harbor
Cuperts coue
I Ruge
C St Laurence
Banck Androes
I St Peter
I Micklon
Great Lake or Sea vnknowne diſcouered in Anno 1617 by Captaine Maſon
Lacus incognitus
Inſula olim vo
Terra.
The Iland ca
C St Francis
Bellile
Bay of Conception
Briſtols hope
Trinitie bay
North Faulklad
C Bona Viſta a Caboto primum reperta
Bay of flowers
Broad hauen
Bay of foggs
Penguin Ins
C S Iohn
Bay Noterdam
Port Flourdelice
Grey
Bellile
Port St Julian
C de Grote
Bellile
NEWFOVND LA
deſcribed by Captaine Iohn Maſon an induſ
who ſpent ſeuen yeares in the Countrey
A Scale of 40 English Leg
5 10 15 20 25
47
48
49
50
51
Inſula olim appellata Noua Terra a Cabota Veneto primũ reperta Anno Dñi 1499 ſub auſpicys et ſumptibus Henrici 7 Anglorum Regis; per literas patentes a Regina Elizabetha conceſsa 1577 Dño Humphredo Gilbert Equiti Aurato Anno 1609 a Iacobo Magnæ Brittanniæ Monarcha Societati Nobiliũ quorundã et Mercatorum Londinenſiũ et Briſtolienſiũ conceſsa ſub Magno Sigillo: Angliæ. Cuius pars Auſtralis de Caplini portu vſq ad Placentiæ Fretum data et aſsignata fuit ſub Cambriolæ nõine Gulielmo Vaughanno Cambrobritãno 1616. cura et labore Iohañis Slany Societatis Treſaurary Hominis de Repub. optime meriti. Hanc partẽ Auſtralẽ Vaughãnus primus incolere cœpit 1617. Et poſtea portiones euſdẽ Terræ de Septentrioñali parte Rheni Fluminis vſq ad Caplini Portũ Vicc°. Falklãdiæ et D°. Georgio Caluert Baroni de Baltimore aſsignauit



C Brittaine
Inuictiſsimo Carolo Magnæ
Brittanniæ Monarchæ.
Sume nouum Regnum, cuius fundamina
Camber,
Primus in Auſtrali, Rex tibi fixit humo.
Ile St Paule
NOVA SCOTIA
C Veirges
C Ray
I. Veirges
St Ihons riuer
Ile Brion
Ile Ramea
vocata Noua
called of olde:
AND.
luſtrious Gent:
Leagues
30 35 40
The Gulfe of the Riuer of Canada
THE GRAND BAYE
South
East
West
North
Ile of Diamonds
PART OF NOVA FRANCIA

CAMBRENSIVM CAROLEIA.

Quibus ſub perſonis *ORPHEI*, Muſarum, Charitum, & quorundam Nobilium Aulicorum auſpicatiſſimæ Nuptiæ inter Inuictiſſimum *CAROLVM* Magnæ Britanniæ Regem & lectiſſimam Principem *HENRETTEN MARIAM* Potentiſſimi *Gallorum Regis* Sororem celebrantur, nec non fœliciſſima *Regis Pacifici* memoria renouatur.

ORPHEVS.

ARGVMENTVM.

Turpia poſt hominum *Regi* delicta relata,
Incipit hic *Regis Connubialis Hymen.*

SIcut Nauta, *maris qui cymbâ tranat abyſſum,*
Fluctibus attonitus quatitur, ceu canna paluſtris
Acta Noto, *cum ſæuit hyems*, Aquilone *boatus*
Horrificos reſonante, maris facieq; nigrente.
Sed diuerſa Deus *ſi nubila cogat in vnum,*
Ventorumq; acies natiuis claudat in antris,
Vndique fluctiſonæ ſedatis motibus vnda:
Tum reparat tonſas, tum carbaſa munit & vnit
Funibus abſq; morâ; velis iterumq; reſartis,
Nauigat audaci ſpatioſa per æquora vultu,

Tutiùs & tandem patrias allapſus ad oras,
Grata triumphali geminabit gaudia plauſu,
Debita vota Deo *ſoluet, grateſq;* Tonanti.
Iam tempeſtates iuuat audiuiſſe, procellas
Et pelagi rabiem læta iuuat edere voce.
Sic Genus humanum *viridi ſub flore iuuentæ,*
Fluctuat inter aquas mundi mentiſq; tumultus.
Vnus inexpleto fumis trahit ore Tobaccon,
In ſulphur dum pulmo anima nimis aridus exit.
Immodicas alium Gazas amor vrit habendi,
Donec auaritia Deus *arcam trudit in* Orcum.
Hunc bombycis agit ventoſa Superbia velo,
Dum Pater altitonans *cum bombis ſpicula vibrat.*
Negligit alter Opes, pretioſaq; munera vitæ,
Non redimenda terens in fœdis tempora noxis;
Fœtaq; barbaricos ſonat inter vina boatus,
In Trinum *blaſphema vomens opprobria* Numen;
Immolat & genium choreis, variiſq; fritillis;
Dum febres, hydrops, nodoſa podagra, ſynanche,
Excruciant corpus, mentem furiæq; repungunt,
Exhalatq; animam fatis inglorius atris.
Nec fumoſa deeſt, qui verba clientibus *ære*
Suggerit Impoſtor, *perituro vendit & auro;*
Et vorat, vt Cetus piſces truce fauce minutos.
Sic hodiè regnat, malles vt perdere cauſam,
Quam nimis atq; viæ diſpendia ferre lutoſæ,
Longinquo cum ſorte loci diſcrimine diſtes.
Sic in fortunas ſubiecti ludit auarus,
De muſcâ cupiens Elephas prodire ſtupendus;
Donec Chriſtigenum, *ſpe quos emunxit inani,*
Vota parant Baldo, *non irrita vota,* Gehennam.
Inuenies alium, qui non contentus ab Arcto

Spe-

Spectari, geſtit noua ſidera viſere cæli,
Vltrà tranſuectus (geminum *quâ diuidit* axem
Libra) *duos* Tropicos *quater, ignea ſigna, reuiſit,*
Ante domum redeat, Iaponica Regna *ſalutans.*
Mille pericla ſubit prædis allectus opimis,
Caneſcente comâ, nimis & tolerando labores
Aſthma, Calenturam, Scorbutum, *præmia portat.*
Inuenies vnum, qui ſeſquipedalibus auſis,
Verborum Phaleris, & multicoloribus alis,
Icario *ſimilis furit, æthera more* Gygantis
Centimani *ſcandens, quæ non intelligit ipſe*
Credere vult alios, Sapientum *nomine ſperans*
Octauus *fieri: meritò dum ſcommate ludunt,*
Fingentes aures aſini petulanter amici.
Inuenies Alium, qui Fœtum mittit in orbem,
Mole grauans prelum; donec conuincit abortum,
Aut monſtrum Lucina *potens, non veſcier aurâ*
Dignum. Publicitus celebrari tanta cupido,
Et ferus ardor ineſt animo ambitione retento;
Cui fatale lego: Piſtoribus atque Culinis
Scripta dabit, Labeo, tua Bibliopola cremanda.
Ecquis emet librum *nugis pupiſq; refertum?*
Ecquis ſpumoſum ſolida rationis inanem,
Poſt emptum relegit? Decretum profer Apollo.
Prodigus alter emit veſtes, queis Regius heros
Aptius ornaretur; Auis Iunonia *plumis*
Non certet varijs, nec verſicoloribus Iris,
Inq; dies mutat; donec ſuſpirat in imo
Fundo tam Domino defeſſa pecunia vano,
Oeconomi *pœnas & ſoluit inutilis orbi.*
Hic Cynaram *repetit,* veteres, *& turpe lupanar,*
Dum cibat, & penetrat peſtis carioſa medullas.

Aulicus *ille ſuæ Dominæ ſermone doloſo*
Nititur ad cælum ſimulatas tollere laudes:
Pulchrior Aurora roſeis equitante quadrigis,
Aureolo longè veneris formoſior Aſtro,
Si modo in Idæos deſcendant Numina colles,
Conſultura Phrygem Iuno, cum Cypride, Pallas;
Te Dijs annexa, pretium certaminis anceps
Non foret, vt Pandora tenes dona omnia Diuûm.
Talibus illecebris, vt leno, vel hiſtrio fallax,
Aulicus *innocuam trahit in ſua vota puellam.*
Tanta Cupidineis *vis, flammula tanta medullis,*
Vt invenis medio areſcat quaſi Tantalus *amne.*
Hac benè teſtentur Fauni Satyriq; *petulci.*
Vos quoq; Bubones *teſtes, vos oſſibus ignes*
Creſcere, vos ſoli lachrymis vidiſtis ocellos
Stillantes liquidis, quaſi rore madeſcere terram.
Funerei cætus, vos audiuiſtis amores,
Vos noctis noſtis Comites hærere iuventa,
Et noſtis lethale ſuum immedicabile vulnus.
Sæpe ſuos piſces tragicos audire ſuſurros,
Sæpe Feræ, varias ſolitæ ſunt ſæpe querelas
Aëria mœſto modulari gutture turba.
Tinnula mater Ityn *raptum lugere videtur;*
Sic & Chaoniæ *cupiunt mulcere Columbæ.*
Ipſa etiam Regina Bifrons, *extendere Solis*
Quam iuvat ad currum pennas adamantina corda,
Flectere molitur Dominæ, non cantibus vllis,
Nec prece, nec pretio, aurifero Iovis *imbre reflecti.*
Hinc dolor, hinc luctus, lachrymarum flumina manant.
Vſqueadeo convexa Poli *non ſumma tueri*
Fert animus, ſtellam non innuptæq; Mineruæ,
Aſtra vel Aſtrææ, *cuius manus vna bilancem*

Altera

Altera fert gladium;quamvis Themis *omnibus æqua eſt,*
Hanc tamen iniuſtam queritur correptus amore,
Si primo intuitu phantaſmata vana recuſet
Pendere Virgo grauis, *venturi præſcia damni.*
Gratulor ergo tibi, Regalis ſtemmatis Hæres,
Sub fortunatis, Rex optime ,nate Planetis,
CAROLE chare Deo, Charitũ ſpes maxima noſtrum:
In quo vera Dei *vt ſpeculo reſplendet imago ,*
Iudicium canum teneris cui ſurgit in annis,
Cui fuit à cunis vitium compeſcere cura :
Hactenus indomita ſuperes vt monſtra inventa,
Et modo legitimi lateris fœdere lecti,
Grauiter extinguens ignita Cupidinis *arma.*
Quos vides incautos, rationis lumine caſſos,
Nec ſine ſponte tamen, quorum in præcordia Dæmon
Spurca venenatis iaculatus tela pharetris,
Reddidit imbelles Dominos, *vacuoſq; bonorum,*
Reddidit infami digito, & carbone notandos.
Antea qui dubia iactatus ſorte, rebellis
Et mundi & carnis tentabat temnere motus :
Nuper & expertus verſuta Cupidinis *orſa,*
Solliciti quam res amor *eſt quaſi plena timoris :*
Qui prius implicitus ſcopulis rerumq; procellis,
Syrtibus & Regni, *tandem ſubis otia fœlix.*
Qui prius aggreſſus longè per ſaxa, per ignes,
Perq; Pyrenæos montes, *& inhoſpita teſqua,*
Indefeſſus iter ſuperatis nubibus ipſis,
Poſt varios caſus, poſt retia ſubdola fraudis,
Soſpes in optato nanciſceris oſtia portu.
Si quæras, vbi ſit portus, vel arena quietis?
Nonne vides portum,gremium,mi CAROLE, Sponſæ?
Regia virgo refert. Hunc elige, dilige portum.

Quo, mihi crede, potes, curâ ſecurus ab omni,
Muſarum *tanquam gremio requieſcere tutus.*
Non hîc fluctiſonum mare, nec vereare minaces
Ventorum claſſes, ſortis nec fata ſiniſtra.
Hac bene viuendi ſedes, ſolamen, & aura,
Hac decor, ara, decus, ratio, tutela, voluptas
Anxiferam mentem magnâ dulcedine mulcens.
Macte Dei *donis, fœliciter vtere* Sponſa,
Qui fulges χαρις *intus* ολος, Rex Carole *noſtrûm.*
Quamuis Regnorum *vaſtâ ſub mole laboras,*
Te iuuet à tantis paulùm ſecedere curis.
Alternis ſua rebus ineſt geminata voluptas.
D*icite io* Galli, *gaudete, ſalite* Britanni,
Aurea iam veſtris naſcuntur ſacula Regnis,
Vos Muſæ Chariteſque *pia cantate Sorores,*
Carmina digna nouis Sponſis *componite lata,*
Multijugas agili percurrite pollice chordas;
Buccina, plectra, obelis, tuba, tympana, Cymbala quauis
Arte meloq; ſacro tundantur ad athera plauſu.
Non opus eſt monitis a Sponſatos *laudibus vltrò*
Tollere tres Charites, *ſacri cum* Fontis Alumnis,
Quas tuus, inuitis Iuxiſtis, Iunior Orpheus
Colchide *de* Cambriâ *duxit fœliciter, aſtant.*
Incipe Muſa, *rogo, qua calles ſemina rerum,*
Metiriſq; vagi rutilantes ætheris ignes,
Vranie: *nec caſta pudor ſubruſticus ora*
Peruertat, quin digna canes encomia Rege.

VRANIA.

VRANIA.

ARGVMENTVM.

Prolificum mortale genus probat eſſe creatum
Vrania, in *Thalamos* omina fauſta vouens.

COndiderat mundum poſtquam ſermone Iehouah,
Florida terra feras, volucres & cœperat aer,
Cœruleumq́ fretum piſces: qui rexerit orbem
Dux tamen abfuerat; quare de ceſpite format
Ille Opifex *hominem* Deus *vnicus, aſtra tueri*
Erectos vultus attollere ſumma figurans,
Effigiemq́ ſuam vitales inſerit auras
Materiæ formam quaſi ceræ. Singula mandat
Bruta viri *arbitrio, & quæ terra vel vnda foueret*
Commoda. Iam mitis depinxit gratia cœlum
Blanditijs allecta, pares iam prole recenti
Creſcere gaudebant: Homo *ſolus Compare lecti*
Indiguit, Dominus *quam mox abſoluit in* horto
Concluſo, *celebri* Paradyſi *nomine noto,*
Membra ſopore rigans hominiſq́ è corpore ſumpſit
Coſtam, formoſæ mulieris & ora creauit,
Quam dedit vxorem ſociamq́ laboris Adamo,
Atq́ maritalis coniunxit fœdere lecti,
Multiplicare iubens & mundo prodere fructus.
Quam bene, Sponſe, *ſapis, ſpreto pruriginis æſtu,*
Corde colis qui ſancta tuo præcepta Iehouæ,
Coniugiale Thori *gaudes & fœdus inire.*
Accipis ac talem, qualem vix protulit ætas
Noſtra parem, longè turbam candore relinquens
Poſt ſe Fœmineam; Thetidos *quaſi* Phoſphorus *orſus*

Egremio radijs ſupereminet aſtra minora.
Aſpicis ? vt Feſtis *gratantur* ſidera Cœli ?
Mercurij Saturnus *atrox non iungitur aſtro.*
Laſciuo Veneris *nec* Adulter *percitus aſtro.*
Non regit in Tauro Mauors, *nec* Gorgona *calcat,*
Signa nec Aſtrææ *rubra cum lampade luſtrat.*
Cyprida virgo *tenet*, Leo *ſuſtinet* Arcados *aſtrum.*
Quot Pars Auſtralis, *quot Pars* Borealis *in axe*
Sidera *contineant*, Iouis *auſpice ſidere, iungunt*
Contendúntq́; nouis Thalamis Hymenæa *precari.*
Macte nouo, Rex magne, *Thoro ; tibi gratulor omen,*
Gratulor illuſtri Reginæ *Cœlitus orta,*
Gratulor HENRETTE Mariæ Patre Hercule natæ,
Quæ fauſta Thalamos *ornabit* Prole iugales,
Non pietate Patri *nec dexteritate ſecundâ.*
Corpora ſint diuerſa licet, tamen vnica tantum
Vita duobus ineſt, amor vnus, & vna voluntas.
Talis erat Vates *demulcens carmine* Tigres
Orpheus, Euridice *qui rapta Coniuge manes*
Viſit, Perſephonem, *inamœnaq́;* Regna *tenentem.*
Talis erat quondam pia Mauſoleïa Coniux,
Quæ lecti ſocium, *dum vita ſuperfuit, amplis*
Obſequioſa ſuum *votis & amore ſequuta eſt.*
Struxit & extincto Monumentum *inſigne* Marito,
Quem tumulum Cares *tollunt ad ſidera fama.*
Talis & Alceſtes *pro* Coniuge *mortua flammis.*
Cùm pramiſerunt ſcitatum Oracula Delphi,
Admetus *moriturus erat, ni ſtemmate vitam*
Proximior ſacret ; mandatum Sponſa *peregit,*
Sponte rogis tradens animoſe membra cremanda.
Tanta fides Alceſtis *erat, vis tanta iugalis*
Lecti, quòd nunquam ſua latus oblivia facti

Ad-

Admiſit, ſed adhuc ſubit admiratio fati.
Splene cachinnones vbi nunc vos eſtis iambi?
Qui muliebre genus, caſtum & damnatis amorem?
Cum nos Chriſtiades *ſumus, extollamus amoris*
Legitimi fructus, quibus, haud ſine Numine, *cernis*
Vincere fœmineum natura lumine ſexum.
Sic ô ſic Superum *nos* Rex *hominumq́; beabit,*
Vt poſſis Regi noua *ſuppeditare* Britannûm
Sponſa *leuamen, opem, ſolatia, gaudia, pacem.*
Salue Fœminei celeberrima gloria ſexus,
Diua, Britanniacis *hoſpes gratiſſima* Terris,
Nec non perpetuùm noſtris victura Camænis:
Quæ geris eximias Regali *pectore dotes,*
Conſpicienda quibus ſplendes, formaq; venuſta.
Æmula gemmatis tua fulgent lumina ſtellis,
Regnat & Euphroſyne *vultu pudibunda ſereno.*
Corpus ceu niueo ſubſtructum marmore conſtat;
In te theſaurum Natura *recondidit omnem?*
Debile forma bonum ſi nullis dotibus aucta eſt;
Sed ſi miſcentur, floreſcit vt altera Nais,
Mille petita procis, inter pulcherima Nymphas.
Qualis in æquoreis vbi Cynthia *merſerit vndis,*
Diua *ſenex latè, comitantibus omnibus aſtris,*
Solis equos *tandem proceſſu temporis orta*
Ingreditur, vultu nos candidiore reuiſens:
Sic concepiſti virtutes mente tenellâ,
Poſtmodò creſcentes, veluti de ſemine ſpicas;
Queis magis illuſtris, magis & formoſa videris.
Sic ô ſic Orpheus *cum* Muſis *iubila fundit,*
Quòd ſis Connubij ſociali fœdere iuncta
Delicijs Britonum, Regalis ſtirpis Alumnoq;
Qui te præſidium vitæ, qui dulce leuamen

Cu-

Curarum, teneris qui te complectitur vlnis;
Qui mores hominum vetitos, & facta doloſa
Cogitat euitare, petitq́; à Numine *votis*
Illibata ſui genialia fœdera lecti
Conſeruare, dolis ignominiyſq́; remotis.
Sic vt Tartareus *non toxica deſpuat* Anguis:
Rumpere nec poterint Furiæ *tam vincula ſtricta.*
Increpat ergo pios decorare quis ille malignus
Regales? *quorum duo pectora ſanxit in vnum*
Omnipotens Genitor, *proprio fœduſq́; ſacratum*
Comprobat arbitrio, ſeroſq́; beabit in annos.
Cui ſummo applauſu ſpatioſa Britannia *cantat,*
Aſſurgitq́; ; *Dies* feſtos Hymenæaq; *ſacra,*
Et pompas agitat ſollennes; vndiq́; circum
Conclamant populi, Rex & Regina perennè
Viuant, floreſcant, vigeant, celebrentur, amentur.
Aſſenſu Thameſis *reſonat,* Sabrina *reſultat;*
Orcades *applaudunt, reſponſat* Iernia *plauſus.*

CALLIOPE.

ARGVMENTVM.

Vota *Sacerdotum* de virginitate labaſcunt
Pruritu: *Nuptis* debita palma datur.

Phœbo *ceſſit hyems brumali frigore victo,*
Purpureuſq́; color redijt, cœlumq́; ſerenum,
Solis *ad* Arctoas *renocatis curribus oras.*
Huc ades, ô Hymenæe *ſacer, noua gaudia profer,*
Cinge triumphali fragrantia tempora lauro:

Cambrenſium Caroleia.

Dum noua concelebrant genialia Feſta Britanni,
Sequana dum Thameſi ſocialia fœdera iungit,
Et iurant ineuntq; fidem pro Gentibus ambo
Vtriſq; vltrices flammas extinguere Marte,
Aut reddendo cuiq; ſuum componere pacem.
Gratulor ô Hymenæe tibi, qui perficis inter
Regales animos miracula Numine mota.
Pro quibus auſpicijs Hymenæi ſeruus ad aras
Semper ero, voueoq; ſacros defendere ritus.
Nec de ſeptenis formido Collibus arma;
Clauigeriq; licet pro cœptis intonet iram,
Caſta maritalis contendam baſia lecti,
Et meritas culto modulari carmine laudes.
Sunt qui Coniugium calamo quaſi Numen adorant,
Et Caiphæ ſimiles, affirmant voce, quòd ipſum
Sit Sacramentum, mortalibus vtile; nodum
In ſcirpo tamen inueniunt, & fraudis elencho
Diſtinguunt, ſanctis interdicendo miniſtris
Presbiteriſq; ſacrum nubendi fœdus iure.
Interea flammis ſtimulante libidine carnis
Flagrant, vt viuunt morientes, fata precantur.
Inſomnes ducunt noctes, ſpectacula mane
Fingunt, nil aliud meditantur præter amorem.
Nil niſi virgineos vultus & lactea membra
Plerumq; immittunt, & imo corde reponunt;
Flora coloratos quà veſtit florida campos,
Qua per odoriferos Maij ſtrepit aura receſſus,
Aligeri Cœtus qua tranant nubila pennis,
Incedunt animis mœſti, conſpectibus ægri;
Nec ſuauis mulcet tepidi tam gratia cœli,
Huc huc progreditur veſtrum veſana libido,
Inflatas venas ni ſedet forte lupercal,

Vos

Vos O Pontifices, *quibus hæc arridet hirudo*
Non miſſura cutem, niſi ſpurco ſanguine plena.
Vita datur cœlebs paucis, non conſcia ſtupri.
Huc ades, *O* Hymenæe *ſacer, procul ito profana*
Turba Sacerdotum, *quæ iura iugalia ſplene*
Archilochi *ſtringis, furtiuo crimine freta.*
Molle iugum Chriſti *diſſoluit vota* Dianæ
Ethnica facta Deæ. Moſaica *vota labaſcunt* :
Lux Euangelij *tam ſtricta repagula laxat.*
Liberiore iugo mortales viuere diſcunt,
Dummodò mente colant Chriſtum, *delubraq; muta*
Temnant; *dum licitos tantum ſectentur amores.*
Ergo cucullato, Monialis virgo, Baali
Reddere vota caue, ne ſubdet membra libido.
Huc ades ô Hymenæe *ſacer, noua gaudia prome,*
Cinge triumphali Nubentum *tempora ſerto.*
Cambria *tolle caput, lætetur &* Inſula *tota,*
Omnes Chriſtigenæ *lætum* Pæana *canunto.*
Rex nouus Albionis Regali vxore beauit
CAROLVS Imperium, *cuius conſortia pacta,*
Concedente Deo Raphael *comitatur, vt olim*
Iuuerit auxilijs & ſedulitate Tobiam.
Quo mediante, fuit Raguelis filia Sara
Deſponſata, licet ſepteno fœdere vincta
Antea Coniugibus vitali lumine caſſis,
Quorum membra ciens Aſmodeus *improba, fauce*
Gorgonica rapuit, prædamq; in Tartara *truſit.*
Haud ſecus Harpijs *ſimilis vorat omnia* Dæmon.
Quem Raphael *ſtringens vinclis, relegauit in Oras*
Ægipti, *reddit quà* torrida Zona Syenen
Sulphuream, ſolito ne rumpat more iugales
Iuſtorum thalamos poſthac Veſana libido.

Sic vos aſſiduo Raphael *comitetur honore,*
Antiqua ſerie prognatos Regibus *ambos,*
Vt non commoueat vobis Aſmodeus *aſtus*
Illicitos. Quid enim primum noua flumina fecit
Lamechidis? *Veteris* Sodomæ *& quæ cauſa* Gomorræ
Excidij? Solymes *cur nil niſi rudera cerno?*
Quid decus ingentis Babilonis *nuper obumbrat?*
Quid quoq; diminuit Monachos? *quid Numina* Patrum?
Fœminei *(infandum)* thalami damnoſa voluptas,
Abdita *quam mentis* Confeſſio facta *ſuſurrans*
Extorquet, Veneriſq; *dolis alimenta miniſtrat.*
Antè tamen repetam quot ſplendida ſidera Cœlos
Circundant; quot cœca rotat Fortuna *recaſus;*
Culta Ceres *denſas quot ariſtas parturit; æquor*
Squamigeros cœtus quot mobile reddit alitq;;
Nubila quot volucreſq; ſecant ſtridentibus alis:
Diſſita quam longo numerarem Regna *ſub Axe,*
Quæ Venus *euertit commota* Cupidinis *aſtu.*
Nam Deus, *vt mens eſt vitiorum labe ſoluta,*
Sic etiam caſtus caſtos ſibi poſcit amores:
Sic tamen haud reprobat ſocialis germina lecti,
Ætherei, *ſed ait,* cunctas ſub luminis oras
Creſcite, multiplici grauidata vigeſcite fructu,
Singula nec reddant ſteriles animantia plantas.
Huc ades, ô Hymenæe *ſacer, noua gaudia prome,*
Palmigeriſq; comas, ſolito de more, corollis
Cinge maritalis gaudentûm fœdere lecti.
Sicut forma roſæ, iuuenum ſic præterit ætas.
Ponite mœſtitiam, volat irreparabile tempus.
Creſcite concordes; nec cedas, Sponſe, *duello,*
Donec Regali *referas cum* Coniuge Prolem,
Et virtute Patri *ſimilem,* Matriq; *decore.*

Cambrenſium Caroleia.

CLIO.

ARGVMENTVM.

Poſt votiua docet quam plurima gaudia, quanti
Penditur à *Chriſto Coniugialis honos.*

VT mea mens gliſcit noua proclamare Britannis
Gaudia, quæ ſacro corda furore mouent.
Corda furore mouent, vt ad ecſtaſin vſq; ſonando
Geſtiat ipſe ſenex, *& vituletur ouans.*
Sequana quòd Thameſi, Gallorum Nympha Monarchæ
Iungitur Albionis, Lilia pulchra Roſis.
O quam magna Dei *bonitas ſuccurrere lapſis!*
Regnorum *dubios & reparare ſtatus!*
Quot ſubiêre Facis *ſub imagine* Apoſtaſin *atram!*
Spe Facis Infantæ! *ſpe cecidere ſuâ!*
Londinum *mihi Teſtis erit, quo nuper ad aras*
Ritibus incumbens Turba profana *ruit.*
Corruit, vt moneat Reges, *delubra colentes*
Sculptiliumq; Deos non tolerare Deum.
Cœpta preces valuere Gregis diuertere Regis,
Eripuitq; metu Filius *ipſe Gregem.*
Carolus *ipſe tuo permiſſu,* maxime Chriſte,
Optatum peragit Connubiale *magis.*
Gallica *naturæ magis eſt Gens chara* Britannûm.
Vtraq; Gens viuit conditione pari.
Hac benè cognouit Fœdus furiale; Britanni
Sape cui vires oppoſuere ſuas.
Hac Pater *expertus tuus, ô* Regina ſerena,
Robore quem iuuit Nympha Britanna *ſuo.*
Cum furor, obtento ſub Relligionis *amictu,*
In magni Regis *viſcera tela tulit;*

Contra omnes gentes, Gallis *conſtanter adhæſit*
Ære, armis, turmis Eliſabetha *ſuis.*
Mutuus vndè fauor creuit, creſcetq́ perennè,
Fœdere Caroleo *quem modo ſanxit* Hymen.
Gratulor hoc fœdus vobis, hoc gratulor omen;
Gratulor has Tædas, Terra Britanna, *tibi.*
Vos ô mordaces curæ procul ite, querelæ
Hinc procul & luctus, hinc & abite minæ.
Hinc Impoſtores Iuris *procul eſte, ſimultas*
Sparſa dolis veſtris exeat vrbe procul.
Pro rixâ riſus, ludi pro lite venite,
Nos Chorus & choreæ Feſta *parare iubent.*
Vos ô Fœminei Sexus, *gaudete, papillas*
Pandere iam liceat, lacteoloſq́ ſinus.
Plaude iuuenta, *ſternens* Hyblæo *Flore plateas,*
Per tua puniceas compita ſparge roſas.
Plaude, iuuenta, *polum penetrans clangoribus altis,*
Plaude, ſenecta, *canens pſalmata læta melo.*
Aſpicis? vt lætis arrident vultibus omnes,
Gratantes geſtu, carmine, voce, tubâ?
Aſpicis? vt Sponſos *plebs ſummo attendit amore?*
Nec defeſſa diu ſtare, videre, loqui?
Ipſe monet Chriſtus *vos exhilarare,* Britanni,
Et vos, Cambrenſes, *tangere fila lyræ.*
Vnanimes exempla nouis depromite Sponſis,
De quibus hoc vno Cantica claudo mea.
Condecorare Canam *Sponſos iuere* Parentes
Cum Chriſto, *Tellus quà* Galilæa *iacet.*
Iam circum menſas, Cerealia *munera, circum*
Conuiuatores diſcubuere dapes.
Vina oritur murmur defecta bibentibus eſſe
Nec finem lautis impoſuere cibis.

Tum

Tum Maria hanc duram ſortem miſerata, profatur
Submiſſa Chriſto talia voce ſuo:
Cernis, vt exhauſtum vinum conſumitur omne?
Vt noſtris Sponſis auxiliere, rogo.
Ille repugnanti reſpondit voce Parenti:
Quid mihi ſit tecum, Fœmina? multa petis;
Temporis hora mei nondum peruenit. amicis
Suaſu Matris opem cogitur indè dare.
Impleri tum iuſſit aquis carcheſia plena,
Sex ibi nam ſtabant euacuata mero.
Quais bene repletis, in ſingula vaſa liquores,
E plenis fecit fundere vina cadis;
Oeconomo guſtanda iubens afferre miniſtros,
In noua conuerſas vina propinet aquas.
Hac cum quam cupidâ traxiſſet fauce, vocauit
Sponſum, iucundâ talia voce ferens:
Cur peiora prius poſuiſti pocula menſa?
Vſq; reſeruaſti nunc meliora tuis?
Quanti Connubij Deus, aſpice, fœdera pendit,
Aſpice, legitimum quàm colit ille thorum.
Lætus amore tuam complectere, CAROLE, Sponſam;
O Princeps, itidem fac reuerere tuum.
Dignus amore tuis, ſeu ſpectes munera formæ,
Seu bona fortunæ ſeu bona mentis amas.
O quam Maieſtas perſonam Celſa gubernat!
O quam temperies, gratia, forma, ſalus!
Quanta Charis fronti! quantus decor additus ori!
Quanta Columbinis luminibuſq; Venus!
Aurea candenti conſurgunt vellera mento,
Hyblæas ſuperant labra rubore roſas.
Abſolon eſt forma, vel Epheſtion; inſtar & auri
Pars agili quauis nexa vigore nitet.

Vi-

Viuite concordes; fructus quoq; palmitis inſtar,
Semidei, Britonum *ſuppeditate ſolo.*
Pullulat humanum genus *ex radice parentum,*
Naturæ ſequitur ſemina quiſq; ſua.

EVTERPE.

Vatis Ieſſæi celebrantur *flamine ſacro*
Gaudia *Regalis* hic *Hymenæa* Thori.

M*Ens mea neſcio quâ* ſacrati Numinis aurâ,
Flagrat io Regi *metra dicare nouo.*
Scriba velut velox, geſtit mea promere lingua
Vatis Ieſſæi *Cantica vincta modis.*
Caroleas Tædas *his aſſimilare laboro,*
Regales animos vt regat vna Fides.
Vt regat vna Thorum mens, Myſtica Sponſa Maritum
Flagitat, Æthereum Sponſus *vt ipſe* Patrem.
Annuet oratis, animas qui ſanguine nauit
Soluit, vt vnanimes Spiritus *intus agat.*
Macte tuis cœptis, Rex auguſtiſſime, *macte;*
Vt Caput *es,* Sponſam *dilige iure tuam.*
Myſtica ſaluifico nubens Eccleſia Chriſto,
Inſinuat vero gaudia noſtra typo.
Vos quoq; Subiecti, *quos Conſuetudo coegit*
Regis in Imperium Numine mota ſacro:
Plaudite pro noſtris Regalibus *optima vota*
Pectoris ex imis ferte, referte Deo.
Ecquis enim viuit noſtro magè Rege *beatus,*
Obtigit in cuius tam bona Sponſa *ſinus?*

Cambrenſium Caroleia.

Inter Semideos *quis tantis dotibus auctus?*
Quis tibi de Regum, Carole, ſtirpe *præit?*
Nullum roſtra ſonant, vici, ſubſellia viuis
Vocibus, vſqueadeo qui ſpecioſius erat.
Cui Deus *igniculos virtutum inſeuit* auorum,
Fomite quas fecit multiplicare nouo.
A teneris didicit præcepta ſacerrima vitæ,
Nec tulit à recto tramite fidus iter.
Quo non nobilior, quo non manſuetior vllus,
Quo non qui Martis *fortior arma gerit,*
Imperium *mundi conuexis terminat æquum,*
Ambit & immenſum Regna *perampla* Mare.
*Te,*Rex magne,Deus vaſti moderator Olympi
Reſpicit, & ſummo ſemper amore colet.
Balſameos *ſpirat criniſq; & veſtis odores,*
Lacteolaq; manus mirrhea ſerta legunt.
Inter Honorandas reſidet Regina *Puellas,*
Fida Thori Conſors, Sponſa venuſta, tui.
Aurea cui ſplendet cum ſyrmis inſtita, cuius
Verberat & niueos bella cathena ſinus.
Armillis adamante ſitiſq; refulget elenchis,
Inter vt aſtra Poli Luna *minora face.*
Imbibe corde tuo Sponſi *pia dicta,* Paternæ
Excidat ex animo dulcis imago domus.
Ex animo Natale ſolum depone, Britannûm
Regi *Connubio quæ modo nexa manes.*
Laus tua iam ſolo dependet ab ore Mariti,
Ille tuus Dominus, Frater & alter erit.
Huic ſoli pare, ſolum complectere, Sponſa;
Huic poſtponetur Gallia *tota tibi.*
Sic Tyrus, *&* Gentes *fucatos murice cultus,*
Corycioque *dabunt vellera tincta croco.*

Ec

Ecce tibi texto velamine ducitur vxor;
  Carole, *virgineo concomitante choro.*
Et vice defunctæ Genitricis, prole *frequenti*
  Vxor *abundabit fertilis ipſa tibi.*
Suſcipies Natos, *his &* Diademata clara
  Sceptrifer *impones vndiq; in Orbe tuis.*
Qui populos frænis poterint cohibere ſuperbos,
  Omnia quos tollent Climata *laude* Duces.
Nos verò de iure Deo pro ſorte ſecunda
  Sacramus grates, Pſalmata, vota, preces.
Euge venite, Angli, Domino *cantemus alacres;*
  Euge venite Scoti, *concelebrate* Deum.
Vos etiam palmas ad ſidera tendite Cambri,
  Curuatis genubus ſoluite vota Deo.
Pſalmicineſq; melo celebrate Deumque *Deorum,*
  Plaudite, de Cœlis gloria ſumma venit.
Omnia cui mundi ſubduntur Regna Monarchæ;
Qui rutilos animis Cœlos *motricibus implet,*
Qui ſolidam tumidis terram diuiſit ab vndis,
Qui iubet Auroram *dare Lyncea lumina terris,*
Qui facit & Phœbum *curſus peragrare quotannes;*
Qui Lunam *ſtellaſq; polo per opaca locauit,*
Qui primogenitos Ægipti *extinxit biulca,*
Qui Gentem Hebræam *comitatus ab Hoſte reduxit;*
Qui Maris irati verbo freta rubra *tetendit,*
Qui populum ſicco pede fiſſa per æquora duxit,
Qui ſubmerſit aquis Phariæ Regionis *Alumnos;*
Qui populis ſemper per inhoſpita Regna præiuit,
Qui debellauit funeſto Marte Tyrannos,
Qui proſtrauit Amorrhæos *cum* Rege Sehone,
Qui Baſanæum *ſuperauit viribus* Ogum,
Qui Genti peregrina ſua dedit arua colenda,

Pabula qui præſtat cunctis animalibus, eſcam.
Pſalmicines laudate Deum *pro* ſorte ſecunda,
Plaudite, de Cœlis *gaudia vera fluunt.*

ERATO.

ARGVMENTVM.

Læta *nouis Sponſis Erato* genialia vitæ
Feſta monet, *Thalamos* & ſine lite ſequi.

M*Ane* Tythoni Senis *è cubili*
Exerens currus, citius reſurge.
Memnonis mater, *iubar ô refulgens,*
Diſcute nubes.
Veſtibus Sponſi Tyrijs *amicti,*
Phoſphori *lentâ face iam peractâ,*
Mutui gaudent Hymenæa Templis
Sacra ſubire.
Igne Delphinus *pharetrati amoris*
Æſtuat captus iuuenis tenelli ;
Quod ſuis ſignis, oculiq; geſtu,
Prodere tentat.
Iunicem flagrant volucres columbæ,
Abſq; nec viuant socijs cubili,
Mutua dantes alijs tenellis
Baſia multa.
Si ſua vitis referatur vlmo,
Surgit excelſis viridiq; racemis,
Et tumet diues tereti ſub aſtra
Palmite gemma.

Red-

Reddit vbertim Domino liquores,
Vndè cor motum ſalit atq; gaudet.
Vergit ad terram ſimulac marito
Orba ſit vlmo.
Sic viri *Sponſis niſi perfruantur,*
Carnis offendunt ſtimulante flammâ,
Virgines raptas vitiant propinquis,
More ferarum.
Vinculis ſed ſi pariles Puellas,
Stupra temnentes Hymenos *ligarint;*
Quam breui nupta parient maritis
Germina pulchra.
Freta ſpe tantâ, Dea, *cur moraris*
CAROLO *dextram* Britonum Monarchæ,
Et fidem ex imis animi medullis
Reddere Sponſo?
Virgo, *qua* Saram *ſuperas amore,*
Virgo, *quæ formâ ſuperas* Rebeccam,
Virgo Suſannæ *pia Caſtitate*
Æmula fulgens.
Fronte virtutes videt explicata
Pallas inuicto Patre nata Diua,
Teq; nubentem *colit & tuetur*
ποιμενι λαῶν.
Tympana argento moueat viciſſim
Nobilis bullata ſenex Arion:
Increpet plectrum digitis canorum
Thracius Orpheus.
Ad pares ſaltet numeros iuuentus,
In modum gyri moueat pedeſq;.
Concinant Vates *noua* Carolcia,
ſed ſine felle.

E cadis nectar fluat & Deorum,
Vt ſitim arentis releuet palati.
Huic Ceres *Feſto, comitante* Baccho,
Præſit abundè.
I procul Serpens, *procul hinc* Erynnis.
I furor longè, procul hinc Megæra.
I fera Alecto *procul, hinc faceſſe*
Hæreſis *atra.*
Non Stygos *virus furiale peſtes*
Contrahat, Sponſos Pater ipſe ſummus
Curat è Cœlis, *rogo, iubilate*
Nocte dieq́;.
Labitur tempus, properatq́; fatum;
Ergo, Regales, *hilares ſalite ;*
Vt Fides vnum regat vna lectum,
Poſcite votis.

MELPOMENE.

ARGVMENTVM.

Incertos caſus notat, exequiaſque *Iacobi*,
Fraudibus *Infernum*, præmia certa pijs.

Q*Vomodo perdidimus magnum virtute* Iacobum,
Hunc Conſtantinum Relligione *grauem?*
Scilicet in vitijs imitantes bruta Britanni,
Indigni fuimus Relligione graui.
Vos ô Iuriſtæ, *refouentes ſemina litis*
Membra ſacroſancti proditis are Dei.
Qua mala non agitis? qua non committere prompti,
Flagitia audetis, Gens inimica Deo?

Quiſq; ſub agnino tegumento fallit amicum,
Vt Chriſtum *rurſus vos iugulare putem.*
Nec minus obſcœnis Plebs *præcipitata tabernis,*
Bellua Porcorum de grege ſordet humi.
Nempè hac aſſiduè: donec vindicta Iehouæ
Trudit in Infernos *vos ſine fine locos.*
Hic vbi ſulphureo ſtrepitat cum fulgure fulmen,
Ixioniſque *rotas mens ſcelerata ſubit.*
Stridet vbi dentes, & ſoluit verbera Iudas,
Verbera non finem, non habitura modum.
Mens memorare horret Furiarum *mille Phalangas,*
Quæ diras animas nocte dieq; trahunt.
Qui ſapis æthereum, *trutinâ rationis in altâ*
Pende ſtatum, formam, materiemq; leuem.
Et nihil inuenies te vaſtum vilius orbem
Complecti; fœtes ſordibus ipſe tuis.
Mittere nil nares niſi pus, tabemq; meatus
Corporis, & ventrem nil niſi turpe lutum.
Aſpicis vt plantæ vegetent? vt mille colono
Cultori referant commoda mille modis?
Aſpicis, vt pecorum, mortalibus vtile nobis
Reddat, & vt dulcis ſit ſine ſorde, caro?
Sin autem natale, vices, & rudera libres
Principio, medio, fine dolenda tuo;
Clamabis tibimet, Nil ſum niſi puluis & vmbra,
Pompa fauilla, decor bullula, fumus opes?
Labile tempus abit, nec habet retinacula, tranſit,
Et citò feſtinat, more fluentis aquæ.
Labile tempus abit, breuibuſq; ſeneſcimus horis,
Noſtraq; Lethali turbine vita ruit.
Non euaſerunt Patriarchæ *è gurgite mortis,*
Cur omen maius poſtera turba petant?

 Quàm

Quàm multi Reges *in prima elementa ſoluti,*
Innumeras Gentes *qui domuere iugis?*
Nunc vbi Dux Nemroth? *vbi* Belus? Ninus, *& eius*
Mater? *vbi* Alcides, *&* Telamone ſatus?
Nunc vbi ſpes Danaum, Pelides, Neſtor, Atrides,
Et Laertiades? *Nunc vbi* Pyrrhus *atrox?*
Quò pius Æneas? *Quò* Memnon, Troilus, Hector,
Lampades Iliaci *nunc abiêre ſoli?*
Quò fugit Macedo, Proles animoſa Philippi,
Cui triplex olim ſubditus orbis erat?
Quò Plato, Mæonides? *Quò, quem tulit alta* Stagira?
Quò Cæſar, Cicero? *Quò* Cato, Naſo, Maro?
Quò Petrus *&* Paulus? noſtræ Teſteſque ſalutis,
Stigmate ſignantes martyriiſque Fidem?
Quò nunc Eduardi? *nunc* Henricique *potentes*
Bello? vix nomen Plantagenetæ *manet.*
Quò Rex Pacificus pollens pietate Iacobus?
Fatum par ſubijt, Eliſabetha, *tuo.*
Nunc vbi Clauigeri, triplici Diademate clari?
Iactantes Cœli ſe reſerare fores?
Induperatorum, *tanquam ſuper aſpidas, colla*
Calcantes, mundum qui tenuere dolis?
Ac ſi non nati penitus delentur ab orbe,
Et ſupereſt, præter nomen inane, nihil.
Scilicet in cinerem remeat cinis; oſſea motu
Vis orbata, petit terrea maſſa chaos?
Tempora temporibus ſuccedunt, aëris aër.
Igniculos, vndam mobilis vnda capit.
Corpora corporeis hæc naturalia præſtant,
Vt quos terra parit terra grauata tegat.
Non Parcæ *parcunt, atra necis atria nemo,*
Exequiaſque tuas, ô Libitina, *fugit.*

Pyramidas Crœſi pulſas, Iriq; *tabernas*,
Craſſos cum Codris ſub iuga dira trahis.
*O F*atum horrendum, *quod nec pietate, nec auro,*
Nec prece, nec pretio, nec moueare minis!
Non generis ſplendor, non fama, nec inclita virtus,
Avertant bombos, Mors truculenta, *tuos.*
Rex pius *hæc habuit coniunctim dona* Iacobus,
Et tamen hîc voluit non ſupereſſe Deus.
Nec genus humanum *tantum rapis,* inuida Parca,
Sed (fera) *tu ſtupidis inſidiare feris.*
Te geris aſt illis aliquanto mitius ipſam,
Omnibus æqualis ne videare nimis.
Phœnix & Ceruus cum Coruo tempora complent
Iuſta, ſed humanum tollis (acerba) *genus.*
O Dolor! ô ſcelus! ô vis! ô Infamia turpis,
Quo non eſt melius perdere plaſma Dei.
Sed mihi dic, ſegetem quare rapis impete cæco,
Nec potius lolium carpis inane, rogo.
Nempe quod hoc fruges vernantes impedit, herbas
Impedit, ergo tibi commoda præda foret.
Sic nos culpa grauis mortales prodidit Euæ,
Cum vetitos fructus poma cibarit Adam:
Sic tanto noſtrum Serpens *inuidit honori,*
Quando ignara mali tempora noſtra forent:
Peccati mercede grauis plectantur vt omnes,
Vt ſubeant omnes vltima fata necis.
Nec mirum, cum Mors *ita debaccharis in omnes,*
Audebas ipſum morte plare Deum.
Sed, rogo, pro tanto auſu quas (Dux atra) *luiſti*
Pœnas? Non Erebi *currunt Aula tui?*
Ipſaq́; ſquamoſis quamvis criſtata colubris,
Pallidior buxo, dux *& inermis eras.*

Cur

Cur igitur, ſoboles humana, *tumeſcis in altum?*
Cedas Semideus : *ceſpes origo tua eſt.*
Mortis *in articulo quid proſunt gaudia vitæ?*
Quid tibi vel niueo marmore ſtructa domus?
Quid thalamos aulaſq; tuas velare tapetis,
Quæ toties tinxit murice diues Arabs?
Quid tibi proficiet caput inſignire Corona?
Ambroſijs ventrem vel ſatiare cibis?
Quid tibi proficiet dulci indulgere Lyæo?
Quid tua vel Tyrio *membra leuare thoro?*
Quid iuvat aut cubis, aut te luſiſſe tabellis?
Quid iuvat omnimodis luxuriaſſe bonis?
Nil iuvat bis fungi, totus nil proficit orbis,
Stamina cum vitæ mors inopina *ſecat.*
In medio veluti qui nauigat æquore Nauta
Non timet horrenda ſpicula dira necis :
Cum tamen ad cupidam paulatim tendit arenam,
Terminat extremum morte furente diem.
Sic Genus humanum, *dum captat ſomnia mundi,*
Natura ſubitò debita ſoluit inops.
Hoc quicunq; vides ſpeculum, mea dicta capeſſe,
Sortis & incertas diſce timere vices.
Serius aut citius rapit inclementia Fati,
Zodiaci *quicquid* Phœbus ab orbe *videt.*
Gramen fit fœnum, fœnum fit flebile funus,
Eſt, vbi Troia *fuit falce metenda* Ceres.
Nunc animam expiras fame, nunc cruce, compede, flamma,
Interdum plumbo, fulmine, Marte, *ſiti.*
Irreſoluta tamen tua cum Pars nobilis *exte.,*
Sperne dolos Sathanæ, *deliciaſq; breues.*
Ante oculos, Rex magne, Patrem *propone* Iacobum,
Pacificum Regem *Conſilijſq; pium.*

Ille

Ille libris factiſque viget, ſemperq; vigeſcet,
Spiritus & ſummi conſpicit ora Dei.
Dum fruſtra credunt alij ſine Numine Sanctis,
Ille Deo *ſoli fiſus, & aſtra petit.*
Venerit attriti mundi Cum meta ſuprema
Inq́; ſuam ruerit machina tota chaos:
Buccina ſera ſonum gratum dabit, ante tribunal
Iudicis *aſtabit* mens pia *carne nouâ.*
Omnia tranſibunt ſub Sole, *ſalumq́; ſolumq́;,*
Mens pia *ſed viuet ſoſpes in arce Poli.*
Viuet io viuet longè ſuper aſtra locata,
Unde dolus mendax exulat, vnde dolor.
Non ibi paupertas, morbus, nec curua ſenectus,
Non clangit rapidi vis furioſa Noti.
Non venus, *ira, timor, leuitas, nec dira cupido;*
Non ibi cauſidici *iurgia vana* fori.
Illic vnanimes, correpti flamine Sancto
Geſta canunt magni perpete voce Dei.
Expleri nequeunt mentes, ſaliuntq́; canendo,
Maius & a Trino Numine *numen habent.*
Cum duo mercedis loca ſupplicijq́; ſuperſint,
Temne dolos, Chriſtum *dilige, et aſtra petes.*
Cur meritis *hominum? cur credis inanibus vmbris?*
Æthereis, ſi vis credere, crede bonis.
Oſcula fer Chriſto, *mentis pia vota preceſq́;;*
Nulla ſalus alibi: cætera vana tene.
Friuola mundana vita deliria vita.
Vita tibi Chriſtus *ſit, tibi* Parca lucrum.
Nil niſi puluis homo *eſt, niſi vermibus eſca* cadauer.
Nobilis, vt venti flamina, fama volat.
Ipſeq́; ni famam producant carmine vates,
Ac ſi non natus futile nomen eris.

Ergo

Ergo pij ſ meritis factisq́; extendito nomen:
Scis bene, Rex Britonum, *quòd moriere ſemel.*
Non vidit Regem *meliorem* Patre Iacobo
Terra Britanna, *tamen cogitur ille mori.*
Macte fauore Dei *parto cruciamine* Nati,
Non ope Sanctorum, *quæ velut vmbra perit.*
Participem Chriſtum Diuini Numinis ora,
Abſq; illo ad Patrem nemo venire poteſt.
Vos tamen oro, nouis Hymenæis *parcite* Parcæ,
Candida legitimi iura fouete thori.
Per Chaos imperij, per muta ſilentia veſtri,
Vos rogo per celeri ſtamina texta manu:
Fauſta nouis Sponſis, Patris *ingeminate* Iacobi
Tempora, diſſidium nec iuga rumpat. Amen.

TERPSICHORE.

ARGVMENTVM.

Quant⁹ honos *Nuptiis* per *Adamum* monſtrat & *Euam*,
Quos *duodena* facit *Signa* beare *Deus.*

REgia *cur tragico turbaſti* Feſta *boatu?*
Mars *abeat;* Turcas *mors inopina premat.*
Cambria *tolle caput, nec gaudia differ in horas,*
Exulet a quauis fletifer vrbe dolor.
Priuatus cum nobis ouas, ſed cauſa triumphi eſt,
Cum iuga magnanimus Rex Hymenæa *ſubit.*
Mortales vetuit flammis ardeſcere Paulus,
Præſtat enim, *dixit,* concelebrandus Hymen.

Vt

Vt medicina potens inſeruit Sponſa *marito,*
Corporis & mentis nubila denſa fugat.
Hæc iecoris ſedat ſcintillas vndique natas,
Hæc fulcit tumidis gaudia ſepta minis.
Sic Paradyſiacis *quondam formauit in* hortis
Ille Opifex *mundi* Virginis *ora* Deus.
Innuit hac etiam: Nuptos *non diſgreget vllus,*
Quos ego conſocio, ſoluere nemo poteſt
Hæc ait, aſt vlnis Evam *complexus* Adamus
Talia iucundâ verbula voce dedit:
Ignis hic vndè mihi venit in præcordia feruor?
vnde rogo nunquam viſa puella prius?
Nempè quod illa ſtetit lateri modò proxima coſta,
Per μεταμορφωσιν *virgo repentè noua.*
Facta caro de carne mea, de ſanguine ſanguis,
Coſtaq́ de coſtâ prima puella viges.
Corporis ergo mei pars es; tibi ſupplico parti,
O Lux, O vita ſpoſaq́ ſalusq́ mea.
Tu mihi ſis rebus ſolamen & anchora ſtrictis,
Caſibus ô requies portus & aura meis.
Tu mihi deliciæ, tu cordis & vnica cura,
Vnica ſpes, vnum lumen, & vnus honos.
Tu mihi Virgo *places, ſeu toruâ fronte tonabit,*
Seu Sors ridebit, tu mihi Virgo *places.*
Me facies Natis, ô dulcis Oliua, [illegible]*tum,*
Qui Patris ætherei *pragmata mira canent.*
Inquit, & arridens placidè libauit amica
Oſcula mille labris, baſia mille genis.
Aſpice, cur Dominus *duo pectora iunxit in vnum?*
vt vetet illiciti facta nefanda thori.
Aſpice, quantus amor caſtis in origine mundi,
Quanta fides thalamis, gaudia quanta piis:

Vt præter Fatum *nil ſoluat fœdera lecti;*
Contra Pontificum *fulgura pacta valent.*
Effera concutiant vicinas fulmina terras,
Collis Aventini *Commoueatur apex;*
Cærula finitimi deſæuiat æquoris vnda;
In vos Vulcani ſpicula mille vibrent;
Exhilarate, noui Sponſi, *tamen auſpice* Ioua,
Fulmina nam pereunt in iuga iacta pia.
Has Tædas Deus *ipſe probas, victricia* Sponſis
Tempora concedis, pectora caſta foues.
Sis princeps anni, ſis Iuni Mentis *amandus,*
Quo vidit Dominum Regia Diua *ſuum.*
Vt benedixiſti, ſic continuato fauores
In Sponſos *poſthac,* O Deus alme, *tuos.*
Fac vt luxurient Cerealià *munera terris,*
Da Tauro *Campi gramina fœta noui.*
Da veniam Geminis *equitandi, lenia* Cancro
Solſtitia, *vt ſegetes ventilet aura lenis.*
Andeat Auguſtum *non excruciare* Leonem
Infeſtis radijs, feruidus axe Canis.
Virgineos *fructus, variet ſua poma* Priapus,
Et libranda ferant plurima grana domum.
Non deformis Hyems *brumali frigore ſtringat,*
Anguipedis *facilis ſed moderare minas.*
Contere Centauros *minitantes prælia* Sponſis,
Inq; Sagittiferas *conijce vincla manus.*
Mitiùs aſpiciat Bifrontis *vt hiſpida* Capra,
Solis ab Antarcto *latiùs effer equos.*
Poſt domitam Capram, *pelagi concreſcere* Piſces
Ne ſine; nec nimium terra rigetur Aquis.
Phryxæumq; Pecus Veris *renovato quotannè,*
Curriculo læto quo bonus Annus *eat.*

POLI-

POLIHYMNIA.

ARGVMENTVM.

Orphea Iuridicis *queritur* Polihymnia *preſſum*;
Vnde nouos fontes, cantica ſacra *petit*.

QVomodò fit ſubito quod fons exaruit vndis,
Nec Dominis poſſim promere digna meis?
Montibus excelſis fontes oriuntur; vtriſque
Cambria tota ſcatet; Cur mihi deſit aqua?
Parcite, Regales animæ, mea purpurat ora
Ruſtica ſimplicitas, nec ſatis apta canam.
Flumen vbique ſcatet, tamen Agnus flumen adire
Horret, ne fieret præda voranda lupo.
Quam ſimilis Iuriſta Lupo, qui devorat agnos,
Vt mihi jam Scribam vix reperire queam.
E multis hodiè deprendo millibus vnum,
Sed cras apparet ne leuis vmbra mihi.
Sic tetra mortales animos commouit Erynnis,
Sic Legiſtarum creuit in orbe chorus.
Toxica ſub linguis latitant, ſub pace Gehennæ,
Tot Cenſura premit, quot probitate valent.
Fulmina iuris huic, fauor illi, caſus at idem:
Explicituſq; rigor, implicituſq, dolus.
Hinc oritur vatum querimonia, dedecus orbi,
Litibus innumeris quod minuatur Amor.
Non poſſunt Verres niſi verrere, viuere rapto,
Aſſueti ſpolijs furtaq; iure tegunt.
Nos odere Lupi, ſine lucris oſtia claudunt,
Si nihil attuleris, magna Minerua, vale.
Hos, Orpheu, calcato lupos: tu fulgura contra
Pugnaſti, contra lurida monſtra maris.

Scribere

Scribere perge; ſacram Sophiæq; per Ægida iuro,
  Floreſces, Lethe cum premet atra Lupos.
Inter Apollineos vt ſtella micabis alumnos,
  Rex etenim Muſis Cambriolamq; probat.
Quære nouos fontes mecum; nec turba luporum
  Hos ſemel attingent, quos Deus ipſe rigat.

SALOMONIS CANTICA *CANTICORVM.*

CAP. I. *Sponſa.*

O *Vtinam Labris libares oſcula* Sponſe,
  Oſcula nectareo grata liquore magis.
Totus enim fragras ſuaui perfuſus odore,
  Hinc te Nympharum *cœtus honore vabit.*
Me trahe continuò poſt te, chariſſime Coniux,
  Et citò virginibus te comitata ſequar.
In tua me duxti, Rex, *alta palatia tecum,*
  Gaudia quod peperit lætitiamq; mihi.
Denigror ore, tamen (natæ Iſraelis amœnæ*)*
  Eligor è multis millibus vna proba.
Enodem formâ vitijs impervia Cedrum,
  Et Salomonæ *vinco tapeta Domus.*
Quòd nœuos habeam, ne faſtidite ſuperbæ.
  Nempè laboraui, ſole tepente comas.
Tu *verò, cuius cauſa, præcordia noſtra*
  Intima flammatæ corripuere faces.

Dicite

Dicito ſub quanam requieſces arbore paſtor,
Cùm medio Phœbus tollet in axe caput.
Cur etenim quaſi mentis inops per deuia curram?
Cur Vager, armentum teque tuumq́; petens?

SPONSVS.

Si me, fœminei celeberrima gloria ſexus,
Ignoras, notas ingrediare caſas:
Ingrediare caſas, turbas vbi paſce gregatas,
Neſcia nec fueris, caſta puella, mei.
Te, mea ſponſa, citis Pharaonis comparo rhedis,
Quæ ſub ſecreto Grammate nomen habes:
Splendeſcis faciem ſuffuſa pudore, Cathena
Gemmata à collo pendet onuſta tuo.

SPONSA.

Cum Rex accumbet menſa inter fercula, crines
Gaudebit nardi fuſus odore ſacros:
Faſciculus mirrha nihil eſt, nil Camphora, tellus
Engada quam reddit, nil mihi germen olet.
Tu mihi faſciculis herbarum gratior horti
Camphora tu redolens, tu mihi germen olet.

SPONSVS.

O quam te memorem, Virgo formoſa, columba
Fulgent Chaonia Lumina blanda tibi:
Lectus odoriferis, & amœnis floribus halat,
Teſtaq́; cum tignis ſunt laqueata Cedris.

CAP. II. Sponſa.

SVm veluti culto florens Hyacynthus in horto,
Sum Roſa, quam cœli ventilat aura lenis.

SPONSVS.

Inter dumoſas vernant vt lilia ſpinas,
Inter & Iſaci ſic mea Sponſa nurus.

SPONSA.

Vt plantas inter reliquas ad ſidera malus
Surgit, ſic inter Sponſus *ad aſtra viros.*
Cuius delector ſpatiari ſæpe ſub vmbra,
Sæpius & facili carpere poma manu.
In cellas duxit vinis vbi dolia fœta
Mille fuere, mihi baſia ſixit amans.
Pocula plena mero mihi ferte, referte medelas.
Poma laboranti pauca dolore, rogo.
Laua leuat capitis morbos manus, excipit vlnis,
Me fouet, ac ægrè dextra miniſtrat opem.

SPONSVS.

Vos ô formoſæ *per capras oro,* puellæ,
Per Damas, hœdos, alipedeſque greges.
Ne perturbetis manibus, ſtrepituue ſonorum
Sponſam, *laſſa leuat dum ſua membra thoro.*

SPONSA.

Fallor? vox noſtras an amici *perſonat aures,*
Imbibo quam notam mente tenace tenax?
Vt Caper in ſaltus qui tendit præpete greſſu,
Sic Celer is ſponſam *deſiliendo petit.*
Sub muri quoties tegumento ſedulus *adſtat,*
Per que feneſtratos aſpicit ipſe *ſpecus,*
Fallor? an hac etiam mihi rettulit ore? venito
Ad ſponſum citius, ſponſa venuſta, tuum.
Præterijt grata vice criſpida bruma *capillos:*
Tempora Lamechidis *præteriêre* ſenis.
Quà, volucres docili modulantur gutture carmen.
Candida pars anni multicoloris adeſt.
Ver redit, & vegetat greſſus, nubitq; marito
Vitis, quam tereti cortice palmes agit.
Huc ades, ô turtur, cui marmor præbuit ædem,

Huc

Huc ades, ô animæ portio ſumma mea.
Annue propitio, ſponſæq́; illabere vultu,
Et tua dicta mea mente repone precor.
Quæ vites lædunt, mortales, tollite Vulpes,
Diſſimulatores igne cremate reos.
Eſt amor *in nobis, agitante tepeſcimus illo,*
Hic pia cœleſti numine *corda movet.*
Invigilat Sponſus *diſtentis lacte Capellis,*
Donec ab Eoo Cynthius orbe *micat.*
Accelerato gradus; veſtigia corrige tarda,
Ocior & cervo ſpes properato mea,

Cap. III.

T*Empus erat, quo feſſa ſolent animalia ſomno*
Singula iucundo membra levare ſimul.
Me nec durus amor *ſolito de more quietem*
Complecti ſineret, ſub iuga corda premens.
Expecto Sponſum *puncto, me iudice, punctum*
Temporis hora foret, longus & hora dies.
Aureolis curro per eburnea colla capillis
Fluxis, in vigiles non bene cauta ruo.
Quò vaga te confers, aiunt, quem quæris? amicum
Per trepidans, refero, quem cœlo corde pio.
Inde gemens abeo, ſubitè ſed viſibus offert
Sponſus, *mille ſono gaudia, mille modis.*
Gratulor invento, mihi gaudeo, iubila fundo,
Ac hilares roſeis oſcula figo genis.
Non prius è manibus dimittam ſponſa maritum
In matris *ducam quam ſacra tecta mea.*

Sponsvs.

Vos ô formoſæ *per capras oro,* puellæ,
Per Damas, hœdos, alipedeſque greges.

Ne perturbetis manibus, ſtrepitune ſonorum
Sponſam, *laſſa leuat dum ſua membra thoro.*
Vt Vapor, ex vaſtis qui fumeus exit eremis,
Fallor an eſt Compar *deliciæq; mea?*
Non tam gratifluos olfactus mirrhea grana,
Nec fumata dabunt thura Sabæa *foco.*
Oſcula, quæ figis, ſunt fragrantiſſima: fragrat
Non ſecus in mediâ ſpica Cyliſſa roſa.

SPONSA.

Eois *conſtant operoſa palatia Conchis,*
Quæ Salomon *ſtruxit ſumptibus alta ſuis.*
Grande ſatellitium, ſex denos nempe, locauit,
Aſpera qui moueant hoſtibus arma, viros:
Ex Libano *lectum fecit conſiſtere* Regis,
Fecit & inſignes, Regia tecta, *lares.*
Fecit humum, muroſq; thoros inſternier oſtro,
Et nitidis gemmis cuncta micare loca.
Ipſe Cathedratus Sponſus *manet inter amœnas*
Nymphas, *à* Sponſa *ſuauiolumq; rogat.*
Turba puellaris, Regis *ſpectate coronam,*
Quam ſuper impoſuit mater amanda *comas.*

CHAP. IIII. *Sponſus.*

M*Embra pudicus* amor *mellitam* ſuada *loquelam,*
Dirigit & mentem docta Minerva *tuam.*
Lumina luminibus tua candidiora columbæ
Sunt, mihi quæ flammas ſemper amoris alunt.
Excellunt coccos longe tua labra rubentes,
Excellent dentes & Salomonis *ebur.*
Quis *non & teretes ſuras, & brachia laudet?*
Quis te Virgineum *nolit amare* decus?
O te felicem nimium, nimiumq; beatam,
In cuius labes corpore nulla manet.

De

De Libani *montis properato cacumine,* Virgo
Confer ab Hermonia *rupe* (venuſta) *pedes.*
Culmen & Amani celſum poſt terga relinque,
Quid tibi cum pardo, Vulpe, leone, Lupo?
Hei mihi, quam grauiter cor plumâ mollius armis,
Ac ſi lethiferis ſauciat aſper amor :
Tu magè quàm Viola, Vites, Vnguenta placebis ,
Tu mage quam myrrha, balſama, thura, croci.
Tu mihi iucundo Libāni *iucundior amne,*
Murmure qui grato grata per arua fluit.

SPONSA.

Vos Auſtri, Zephiriq; *feri, date flabrā ſecunda,*
Vt rutilis fument thura, cremata rogis.
Conferat vt Coniux *iter ad Pomaria fructus,*
Et legat a ramis pendula poma manu.

CAP. V. *Sponſus.*

LVx mea, *iam greſſum per amœna roſaria flexi,*
Qua leuis æſtiuas temperat aura comas.
Qua fons æterna vita circumfluit herbas,
Auribus & reſonat Sibila grata meis.
Cum caſiâ tenero collegi pollice mirrham
Collegi calamos, Cynnama, fraga, roſas.
Lac ſorpſi liquidum, ſorpſi quoq; rorida mella,
Pocula Pampineo fœta liquore tuli.
Heus ſocij *celebrate diem, gaudete, ſalite,*
Paſcite membra cibis, paſcite corda iocis.
Fercula multa dapum, Carcheſia multa falerni
Appoſui menſis, concelebrate diem.

SPONSA.

Somnus adulator defeſſos ſopiit artus,
Qui nunquam mentem ſopiat arte meam.

Audio pulſantem Sponſum, *nec ſomnia fallunt,*
Audio dicentem, tolle, marita, *ſeram:*
Veſtibulumq́ aperito mihi cito, rore madeſcunt
Et caput & crines, tolle, marita, *ſeram:*
Corporis ornamenta mei numeroſa reieci,
Commiſi dudum membra leuanda thoro.
Fontis aromaticis lymphis ſunt crura rigata,
Cum plantis quauis pars & odore liquat.
Veſtibus aſſurgam num rurſus amicta? lutoſo,
Oſtia dum reſero, paluere fœdo pedes.
Intempeſtiue venis, haud tibi conuenit hora;
Luminis & dicis tolle marita *ſeram.*
Me per veſtibuli tetigit data dextra foramen
Coniugis, *& propero tollere lata ſeram.*
Qua mihi laxatâ, ne ſubvolat illius vmbra
Quærenti, vt prendam tendo retendo manum.
Nil niſi tenſa manus cedentes arripit auras,
Erro, ſed errando tangor amore viri.
Inter & errandum cuſtos venit obuius atrox,
Qui me denudat verberibusq́ premit.
Vos rogo Virginea turba, charaq́ ſodales,
Quas mihi coniunxit fœdere certa fides.
Significate viro, *ſi fortè videbitis illum,*
Quòd mea corripuit flammens oſſa vapor.

TVRBA ISRAELIS.

Quem quaris toties quem magnis laudibus effers,
Signa refer Sponſi, Regia Virgo, *tui.*

SPONSA.

Quem quero toties, quem laudibus effero magnis,
Eius inexhauſtas oro, notate notas.
Splendidiora nitent radijs ſolaribus ora,
Liliaq́ exuperant verna colore roſas.

Quod

Quod parit unda Tagi, caput eſt illuſtrius auro,
Par coruo, ac hebeno nigra caprona fluit.
Lumina luminibus ſunt candidiora columbæ,
Expellunt malæ Punica mala magis.
In labris Charites *regnant, odor exit ab illis,*
Qualem proſpirat ſtactea mirrha foco.
Aureus exornant digitos, ſinnoſus & ambit
Vndiq; completo circulus orbe ſuo.
Dotibus innumeris natura pectus abundat,
Saphiros niueum vincit & aluus ebur.
Marmoreo lapidi præſtant albedine crura,
Non dabit his gemmas aurificina pares.
Cætera quid memorem? memorantem copia tardat,
Cum loquitur, liquidum nectar ab ore fluit.
Concedat calamita ſtorax, libanuſq; marito,
Concedat Sponſo *Cedrus acuta meo.*
Sic eſt quem quæro, ſic eſt quem laudibus amplis
Effero, ſic mentis maxima cura meæ.
Quo ſine, ſumma Poli *piget (heu) convexa tueri,*
Quo ſine, triſte mihi vinere, dulce mori.

Cap, VI. *Turba Iſraelit.*

R Egia Virgo, *refer nobis. quò vaſit* amicus,
Tardabunt noſtros otia nulla gradus.

Sponsa.

In Nemus auriferum dudum deſcendit amicus,
Vt legat Heſperidum *citrina mâla manu.*
Narciſſos, violas, amaranthos, lilia, corna,
Carpat ab arboribus mitia poma, nuces.

Sponsus.

Suauior areolis, Thryſa *ſpecioſior, altis*
Mœnibus es Solymes *pulchrior alma Soror.*

Sæuus amor *pungens mage me deterret amantem,*
Quam rigidas Mauors *aſpera tela rotas.*
Ora pudicus amor, *mellitam* ſuada *loquelam,*
Dirigit & mentem docta Minerua *tuam.*
Irradiat Pupilla oculis Christallina caſtis
Purpura cum citro pingit vtraſq; genas.
Excellunt coccos longè tua labra rubentes
Excellunt malæ Punica mala magis.
Tot ſunt in numero vicena ſemper amœna
Stemmate Reginæ, Sponſa venuſta, *tibi;*
Innumeræ Lectum circumſtant ordine Nymphæ,
Participes thalami, Regia virgo, *tui.*
Has omnes ſuperas formâ, & virtute puellas,
In te dilecta ſtat Genitricis *amor.*
Læta tibi ſoli ſoluunt præconia Nymphæ,
Læta tibi recinunt pſalmata, mille modis.
Exerit vt Roſeos coniux Tythonia *vultus*
E lecto ſurgit ſic mea Sponſa *ſuo.*
Inter vt aſtra Poli *fulgeſcit* Luna *minora,*
Sic ea virgineo præſtat honore choro.
Cynthius *obſcuras fugat vt ſplendore tenebras,*
Sic pellit maculas immaculata procul.
Vexillis hoſtes vt terrent agmina dira,
Incutit horrorem ſic Sulamitha *malis.*

SPONSA.

Per ſilueſtre iuuat veſtigia ferre nucetum,
Vt videam iuxta flumina mâla, nuces.
Vt videam, creſcat nunquid mea vinea fœtu?
Nunquid terra ferat ſemen arata nouum?
Deflexi curſum rapido poſt ocior Euro,
At celeri petij Regia tecta *pede.*

SPON-

SPONSVS.

Cur das terga fuga, formoſa reuertere Sponſa,
Amplexus capiat Dextera noſtra tuos.
Cur ſpectatis eam, quæ formidabilis vllis
Eſt exercitibus plus Sulamitha virûm?

CHAP. VII.

O Tua quàm ducis veſtigia paſſibus æquis!
O quàm directos, Regia virgo, pedes!
O quàm verticulos femorum Natura decoros
Conformat! quæuis pars tibi nexa manet.
Inguen habes calici par dulci nectare plene,
Ventriculum ſimilem frugibus alma tenes.
Vbera & vberibus ſunt candidiora capellæ,
Vincit Ebur ceruix alba colore tua.
Carula Barthrabbim prope lumina, lumina ſtagni,
Sunt Helebonæis lucidiora vadis.
Perpulchram Libani naſus quoq; denotat arcem,
Unde Damaſceni conſpiciantur agri.
Carmelum æquiparat caput, oſtrum compta caprona,
Gratia iucundans pingit vtraſq; genas.
Palma velut fluuij pulleſcit ad oſtia vernans,
Sic creſcis fructus Relligionis habens.
Quales gemmatos reddit vindemia botros,
Tales mammarum pectora caſta ſinus.
Non tam fragrantes olfactus Camphora ſpirat,
Quam caput vnguentem (dulcis amica) tuum.
Mellea roratum diffundat vina palatum,
Gutture quæ cupido turba miniſtra trahat.

SPONSA.

Mens mea ſacratis percuſſa Cupidinis armis,
Iamdudum ſancti flagrat amore viri.

Ergo tibi placeat ſacros luſtrare receſſus;
Quâ varijs herbis Protheus *ornat humum.*
Scilicet hîc luſus peragamus amoris amantes,
Dum nox prætereat more fluentis aquæ;
Nempè ſoporifero mandemus membra grabato,
Donec ab Eoo *prodeat orbe dies.*
Tunc vtrum vitis directè iungitur vlmo,
Viſemuſq́ refert quomodo grana ſolum.
Tunc tibi monſtrabo diſtentas lacte Capellas,
Tunc tibi monſtrabo brachia, crura, pedes.
Tunc tibi Mandragoras fragret, Roſa, Spica, Papauer,
(O deſiderij ſpes generoſa mei)
Punica perpetuam comedes reparantia vitam,
Pomaq́ percipies quæ mea Vella tenet.

Chap. VIII.

O Vtinam poſſem tibi figere baſia, Sponſe,
Quem mihi dilecti fratris habebo loco.
Quem citò deducam laqueatas matris *ad ædes,*
Vt virtutis iter ſedula ſcire queam.
Vt teſtis etiam tibi mulſa repoſta miniſtrem,
Vt tibi dem fructus (mitis amice) *manu.*
Læua leuat capitis morbos, manus excipit vlnis,
Me fouet, ac ægra dextra miniſtrat opem.

Sponsvs.

Vos, ô formoſæ, per Capras oro, Puellæ,
Per Damas, Hœdos, alipedeſq́ greges.
Ne perturbetis manibus ſtrepituue ſonorum
Sponſam, *laſſa leuat dum ſua membra thoro.*
Quæ precor è vaſtis veſtigia traxit eremis?
Quæq́ innixa viro candida virgo *fuit?*

Inter

Inter odoriferas frutices te nonne, Puella,
Inueni? peperit hîc vbi mater onus?
Pectore, ſigna velut cedrinis inſculpta Columnis
Pone cathenatum me, Sulamitha, *tuo.*
Omnia vincit amor, Mors & concedet amori,
Accipit à Cœlo numen honeſtus amor.
Adde faces facibus, flammatis ignibus ignes,
Fortior his penetrans ignis amoris *erit.*
Non aqua reſtinguit fluuioſa Cupidinis *ignes,*
Nec minus inflammant pectora noſtra truces.
Non prece, vel pretio deflectitur ipſe, vel irâ:
Non timet horriferi tela Cupido *ducis.*
Eſt mihi parua Soror, *clauſas habet illa papillas,*
Quid dicam quando poſtulat anſa ſonos?

SPONSVS.

Tempore venturo ſi murus ahenens eſſet,
Hunc ſuper argento Regia tecta *ſtruam.*
Tempore venturo ſin eſſet ianua forſan,
Cum cedro niueum condecorabit ebur:

SPONSA.

Ipſa ego ſum murus, turres ſunt vbera tanquam,
Et Sponſi *tantum viuo fauore mei.*
Hinc prope ſiſtit apud Baalhamona *vinea* Regis,
Pro quâ cuſtodes aurea mille ferunt.

SPONSVS.

Sponſa *coloratos mea qua ſpaciare per agros,*
Adſtat apud limen iam ſociata phalanx;
Vt bibat aure tuum cygnaeo carmine carmen
Dulcius, & bibitum ſapius ore ferat.

SPONSA.

Ad montes diuerte gradus, ô dulcis amice,
Et per per odoratos hinnulus ito locos.

Ne dicant Critici ſacra me miſcere profanis,
Det Deus, vt veſter ſit ſine labe thorus.

THALIA.

ARGVMENTVM.

Exuperat gemmas *benè morigerata puella*,
Mulcet amara domus anxiferæque *crucis*.

SOluuntur pluuiæ, niues, procellæ,
Rugoſaq́ue Hyemis *rudes miniſtri.*
Nunc herbæ redeunt agris, Orion
Fugit, ventus abeſt, viceſq́ue mutant
Terræ. Proſpera nuncupata frugum
Altrix, caſta choros Diana *ducit,*
Accreſcens face ritè noctiluca,
Quæ prona & celeris, ſed ordinatim,
Menſes *voluere, quaq́ue mutuatos*
Vnà cum rapidis equos quadrigis
Fratri *reſtituit.* Sali & Lepori
O Tempus Iouiale *deſtinandum.*
Tempus *quod* Britones *ad aſtra tollunt,*
Tollunt Angligenæ, Scoti, *ac* Iërni,
Cum Cambrenſe Nouæ Virago Terræ,
Tollunt Virgineæ Coloniæque.
Cui Gallus, Danus, *& ferox* Holandus,
Cui Sueci *ſoliti pati pruinas*
Exoptant alacres perennitatem.
Princeps Allobrogum *licet ligatus*
Vinclis Coniugij *ſit ipſe* Ibero

Spe-

Sperat plus fidei Britanniarum
Quam Tædis *alibi ſuis oriri.*
Sed, Dux, *ante alios*, Etruſce Magne,
Hanc lucem *reputas magis beatam,*
Quâ Conſanguineæ tuæ, Monarchæ
Tanto Stemmate viribuſq; tantis
Iuncta fœdere gratularis omen.
Hoc tempus *niueo notate ſigno,*
Vos, *quos* Auſtria *ſuſpicatur eſſe*
Veros Teutonicos, *fauere promptos*
Magno Rhenicolæ, Leonibuſque:
Tempus *quod* Venetum Status *honorant.*
Omnes vnanimes fatentur iſtas
Tædas *pracipua* Dei *peractas*
Cura, ad ſingula Regna Chriſtiana
Penſanda in trutina libraq; iuſta:
Arcendam ad rabiem, Tyrannidemq;
Quam Mens fiſa nimis ſuis, *ſuperba,*
Inſtinctu Satanæ, *doloſo & auro*
Inferre innocuis breui propinquis
Poſſet. Conſilijs *ſed iſta linquens*
Gemmatis melius quid eſſe conchis
Longè dicite poſſit, ô Sorores?
Aut pulchro pretioſius quid auro?
Annon Fœmina caſta, ſat venuſta,
Solo in Numine ſpem locans ſalutis,
Quæ ſe morigeram gerit marito?
Hac nos vincit amabiles Puellas,
Hac omnes ſupereminet lapillos,
Hac Regis *ſuperat domos potentis,*
Aulaas & opes Midæque *gazas.*
Hanc ſi poſſidet, haud magis beatus

Ullus vixerit : hac enim Marito
Apportat bona fertilis Puellis
Vxor *plurima; fata lenit alii.*
Hac ſolatiolum anxij doloris,
Quando Sors *rigidus tonat procellis,*
Quando retrogradis fremit quadrigis.
Quamuis Fœmina *veſte purpuretur,*
Quamuis Stemmate Regio *ſit orta,*
Quamuis Chryſolito tumens Cathena
Sinus ſplendida lacteos, & auro
Diues verberet arte perpolita;
Quamtumuis Arabum *fluant odore*
Crines; ſyrmate verrat & virago
Terram; Praxitelis *licet figuras*
Vincat : ſi tamen obſtrepat ſonore
Sponſum, *legibus eius & repugnet,*
Dum non Decalogi Statuta contra
Sponſam ſollicitat; cruore fultam
Aut mutare fidem profanus Agni;
Et ſi non Adiaphoris obêdit,
Quæ vultu placido rogat maritus,
Huius dico animam *periclitari,*
Si non iuſſa viri lubens faceſſat.
Sponſæ Sponſus enim præeſt Corona,
Sponſi Chriſtus vt eſt Caput, Corona.
Va queis obloquium vocationi
Detur Fœminea periculoſum.
Ni res in ſpeculo nitent reflexa,
Hoc vti ſpeculo iuuat quid vnquam ?
Ergo morigerans tuo Marito,
Hac fac, Nympha, *Roſârubente vultu,*
Complectens niueis tuum *lacertis,*

Fi-

Figenſq́; oſcula periocunda labris.
Curis ſiu animum vides onuſtum,
Ira vel citò percitum furore,
Si quid non auibus bonis peractum
Votis eueniat domi forisq́;,
Regem *blandidulis voca rogatis* ;
In nos, dulce Decus, labella noſtra
Vlciſcêre tui furoris œſtrum.
Vindictam, mea Lux, feram libenter.
Totum ſupplicium luet a Marita,
Parcat Rex genium ſuum grauare.
Regis vis mihi corculo negare
Tantillum? Dominæ vices iubentis
Vſurpabo ferox, miniſque cogam.
Cura, crede mihi, graues fugantur
Sponſæ *colloquijs*; *amara lenit*
Regni *blandus Amor, medela morbi*
Cordis, certa ſalus, mali fugatrix.
Velis omnia ſic cadent ſecundis,
Dum nauare operam ſtudes amicam,
Et mulces Domini Serena *motus.*
Sic cum torta Deæ nimis ſeuera
Rumpent ſtamina, Stella *ſis creata,*
Vt magnum ſuperes Polo Booten,
Vincas Andromedæ, Maria, Sidus ,
Vincas pulchricomam nitore Phœben.
Terris interea beata viues,
Illuſtrans radijs tuis Britannos.
Te, Rex, *indico nec minus beatum,*
Fœlicem nimium, cui ſupremus
Princeps fœdere virginem ligauit
Talem Connubij, Roſam, Rebeccam,

Talem

Talem Palladiam Deam Dianam,
Cuius Iupiter *eſt origo Stirpis.*
Cuius ſola Fides recumbit aſtris,
Innixa & meritis ſacris Ieſu
Credit non alibi ſibi ſalutem.
Cuius cura pia eſt mali carere
Fœda labe, calamitatis anſa.
Sed laudes numerare mentis omnes,
Hoc eſſet laterem lauare, itemq́,
Focum conſtruerem calente Sole.
Ergo Cambriolæ *nouem fluenta*
Claudam, nam Charites *ſuas loquelas*
Cambrenſes *video diu edituras;*
Quas pro Cambriolæ Britanniæque
Magnis Principibus *canent ſalute;*
Verſus Caroleōs *magis ſtupendos,*
Verſus plus meritos legi Senatu,
Iſtos præcipuè meos ſequentes.

CHARITVM CAROLEIA.

EVPHROSYNE.

ARGVMENTVM.

Seria pro *Patria* confert meditanda ſalute
Senſibus *Euphroſyne, Carole Magne*, tuis.

MAgne Monarcha, licet ſcriptis ab Apolline (Magno
A Patre præceptis perpoliare tuis.
Nec polypragmatici pollentes munere fandi,
Nec tibi deficiant cognitione graues.

Ne

Ne dedigneris tamen hæc documenta probare,
Quæ tibi Vauhanni mitto dicanda manu.
Non aurum gemmaſque tibi, ſed ditius auro
Et gemmis, dignum Principe portat opus.
Vota preceſq; Deo, viduæ munuſcula Chriſto,
Regibus egregijs & placuere libri.
Carolus Hiſtoriam Cominæi quintus amabat
Sub ceruicali depoſuitque ſuo.
Nec minus Iliados Proles animoſa Philippi
Inter bellandum ſæpe legebat opus.
Non hîc Vtopiam fingo, phantaſma Platonis
Negligo, nil præter materiale cano.
Dulce reale tibi, cuius mens obruta curis
Multiplici rerum mole, vacare nequit.

De *Britannorum Religione.*

Quæſtio ſi fuerit de Religione *tenendâ,*
Iſta vacillanti, non tibi, dico fide.
Candidiore Fides *luſtrabat lumine mundum,*
Quo propius tetigit limina prima Patrum.
Lumen *at* Eclipſin *paſſim labentibus annis*
Reddidit impuram, quæ fuit alba, Fidem.
Iam tenebris pulſis renouat fulgore Britannos
Priſca, triumphatrix, viuida, vera Fides.
Hanc ſuper vt petram mea vis conſiſtit, & Orcum
Abſq; pecunifici traditione premet.
Sanctorum meritis *non audeo fidere, multò*
Fido minus proprijs, ſculptiliumue ſacris.
Gaudent pro nobis, ſcio; ſacrificare ſed illis,
Inniti aut meritis *eſt vt arundo leuis.*
Zelotypus Deus *eſt, alijs ſine* vindicis *irâ*
Non credas, Nato *ſolnito vota* Dei.

Æneus hic Serpens *ſignum* Cruce *pendet ab altâ,*
Ut ſit peccatis ſola medela tuis.
Sola medela Fides Agni *ſuffulta cruore:*
Concipe mente Crucem, *concipe dulce* jugum.
Molle iugum Chriſti, *qui ſimplicitate Columba*
Contentus, Vulpes odit & arte vafros.
Sæpe Catechiſtam Doctores *ante peritos*
Extollit; ſimplex cor holocauma Deo *eſt.*
Is *ſedet ad dextram* Patris, Iudexque *futurus*
Te ſuper, & Papam Cardineumque *chorum.*

De *Pace* & *Rege Pacifico* imitando.

Q*Vi toties* Regum *ſtuduit componere motus,*
Pacificum Patrem, Rex, *imitare tuum.*
Re Saluatoris *mundi, non nomine tantum,*
Munia apud Patrem Natus Ieſus *agit.*
Rex Ieſuita *pius re quantum diſtat ab illo,*
Qui Ieſuita *palam nomine, req; furit.*
Ille Palatinum *ſibimet* Prolemque *reliquit*
Spe pacis, bellum dum crepat iſte ſuis.
Rex Saluatori *ſimilis, qui bella peroſus,*
Pro grege Paſtor *obit, pro grege* lytron *erat.*
Rex Medico *ſimilis, qui, dum ſpes altera reſtat,*
Non ſerra aut flamma putrida membra grauat.
Blanditijs & Pace prius conuertere tentat
Hoſtiles animos, quam fera bella gerit.
Tanta Patrem Patriæ *ſuperabat cura ſalutis*
Humanæ: Natum credidit ipſe Lupis.
Rem ſibi reſtitui cunctando ſperat ademptam,
Hoſtem conſilijs & ſine cæde petit.
In deſperatis cum nulla flecteret arte,
Agnus Pacificus cogitur eſſe Leo.

De

De *Fœdere* cum finitimis ineundo.

N*On pigeat renouare* Pater *qua* Fœdera *ſanxit;*
Belgarum *primum ſit tibi cura* Status.
Non ſolum Fidei *cauſa ſed* nautica *propter,*
His dare ſuppetias auxiliumq́; iuuet.
Nec minus & Materna Domus *firmetur amore,*
Et quos Magnates Teutonis Ora *colit.*
Pacis Conſilijs his Author, viribus illis,
Chriſticolas *trutines lance pariq́; gradu.*
Sin Rex Heſperius *vicinos ambiat auro;*
Gallorum *cupiens ſubdere colla iugo;*
Tunc tua res agitur. Nunquam ceſſere Britanni,
Ante fuit, Cæſar, Gallia *victa tibi.*

De *Palatinatu* recuperando.

N*Ec iubar* Albionis *tua Terra per otia tantùm,*
Sentiat & radios Teutonis Ora *tuos.*
Ut poſſis, quod fata Patrem *vetuere,* Sororis
Marte Palatinum *ne patiare premi.*
Huic oneri ſuccede, faces extinguere belli
Non iuuat inducijs, vis vbi iura regit,
Te Moderatorem *cupiunt lato ore* Dinaſtæ,
Quorum vicinos flamma feribat agros.
Militis *effrœnis rabies diſcrimine nullo*
Concutit, Electis *qui bene velle putant.*
Anglia *non renuit caput obiectare periclis,*
Dum fremit hoſtili Teutonis Ora *manu.*
Scilicet hac vno deuouimus ore Senatu
Spem, Gazas, Animas pro Grege, Rege, Fide.
Regia *ſi quondam populo auſcultaſſet* Eliza,
Non ſocios auri mole granaret Iber.

Sumptibus expetijt proprijs Deuonia *ſola,*
Hiſpanûm Terras *ſubdere* Marte Nouas.
Eliſabetha, crucis *tua laus examine creſcit;*
Sis patiens, Frater *dum tuus arma parat.*
Quot ſcit amare Poli Septentrio (Diua) Booten,
Te citò reſtituent, ô Noua Stella, *tuis.*

De *Subſidijs* & vectigalibus Bellorum neruis.

S*Oluere ſi* Cenſus *& vectigalia tempus*
Poſtulat, hac blandâ quærere voce decet.
Sed ſi ſoluendo ſit onus graue, rodere factum
Des Aſinis veniam, rudere namq; iuuet.
Ardua non ſapiunt omnes molimina Regum,
Quod Caput intendit cætera membra latet.
Non ſine ſubſidijs Rex & Reſpublica *conſtent,*
Seu bellum ſpectes, fœdera ſiue foris.
Nos ſumus enerues ſine neruis æris *acerui,*
Vos eritis teſtes Terra Salumq; mihi.

De *Subſidiorum* tabulis perpendendis.

S*Vbſidij tabulas opus eſt* Cenſoribus *æquis*
Pendere, qui poſſint anticipare dolos.
Sunt qui de reditu benè libras mille quotannè
Expendant, multo nec minùs ære valent;
Quos ita ditatos tamen audent ſorte minores,
Non niſi pro libris octo quotannè dare.
Permultos noui, fœlix quos copia rerum
Extulit, at Regi *commoda nulla ferunt.*
Iudice me, nimium turpis ſapit Euclio *cœnum,*
Qui non Subſidium *ſoluere ſponte cupit;*

Præcipuè pro commune bono, cum cogitur armis
Vti, vicinos vel trutinare ſtatus.

De *Militibus* deligendis & laboribus aſſuefaciendis.

I*Nuitus ſed iure moue certamina* Martis,
Namq; latrocinium Mars *inhoneſtus erit.*
Frontini *placeat* Stratagemata *ſcire; moderna*
Nec tibi diſpliceat voluere geſta Ducum.
In Bello Dolus eſt Virtus; *victoria pauco*
Sanguine parta placet, victima grata Deo.
Decretis quicunq; domi ſat promptus obêdit.
In Bello vidi morigerare foris:
Hic tibi Miles *erit, noſter teſtatur idipſum*
Scriba, *nec ignauus, qui documenta refert.*
Deditus ille licet ſtudijs, tamen iſta notauit
Hungariæ, Venetûm *præſidijſq; vigil:*
Ebrietate ſcatens, Cyclops temerarius auſis
Non ſua militiæ munia dexter aget.
Vnus cum ſuperet veteranus *quinque nouatos,*
Hunc torpeſcentem ne patiare ſitu.
Vel pharetris vti, vel puluere mittere bombos
Aſſueſcat, cuneos aut agitare leues.
Ordinibus longis, aut ſectas explicet alas,
Aut Lunæ *formet* cornua Turca, *tua.*
Corpore dum ſatagit Miles, *vel mente, paratur*
Ad maiora capax deteriora fugit.

De Medicis in Caſtra accerſendis præcipue in tempore contagionis.

N*Vper in armatos, ciues, rigidoſq; colonos*
Sæuijt inſueto Febris *acerba modo.*

Cuius Principium cum pendet ab aëre miſto,
Corda venenato tincta calore petit.
Vis occulta patet poſt annos quinq; madentes,
Æſtu repletos inficiente nouo.
Sic Deus humanum Genus ob peccata flagellat,
Ni tollunt Reges ebria facta gula.
Inclite Rex, cum tanta luis contagia ſerpant,
Procura Medicos Martia caſtra ſequi.
Vos, ô Hippocratis Genij, date Pharmaca ſponte,
Antidotos certas ad remouenda mala.
Cur non Limonum ſuccis extinguitis ignes?
Cur Pilulas Ruffi nono datis abſq; mora?
Nempè Aloen, Mirrham, volo vos miſcere crocumque,
Siue placet Pilulis, ſiue liquore dare.
Fauſtius his agro non eſt medicamen in orbe,
Ni tumeat forſan vena cruore putri;
Expediet cultro tum, vel ſudoribus vti.
Contra omnes morbos parca diæta valet.
His inſiſtentes Eduardi tempore Sexti,
Seruarunt Medici millia multa virûm.

De Arte Sagittandi renouandâ & alijs idoneis armis comparandis.

VTilis Aſchami Liber eſt dignuſq; pedeſtri,
Si Pharetrata probas, terq; quaterq; legi.
Arte Sagittandi Gallos vicêre Britanni,
Nulla lacertoſis Ars magis apta viris.
Sic ad Agincourten Equites ceſſere ſagittis,
Infixis ſudibus militis ante pedes.
Sphærica ſulphureo non eſt tam certa canali
Glandula miſſa, Pedes dum cito membra mouet.

Plus terrore ſoni ſcloppo reboante cohortes
Lædit, quam ſæuo vulnere niſa procul.
Claſſica bombardis & propugnacula muni,
Arcubus *at pugnas: ſic bene cedet opus.*
Ambo vices habeant, vt Martis *cætera tela,*
Quæ ſemper cures eſſe parata tuis.
Propria quiſq; gerat, non ementita fauore,
Mutua nec technis præparet arma *ſibi.*

De ancipiti *certaminis Aleâ* præcauenda.

B*Ella licet iuſtè moueas, ne reſpue pacem:*
Hoſtibus ex auro pons aliquando patet.
Dum Mercatoris multis onerata Carina
Mercibus, incolumi remige carpit iter.
Lubrica dum ridet Cælo Fortuna *ſereno,*
Dumq; Iacobinis *larga crumena fluit:*
Quis niſi Mercurius? *niſi* Diuus *diues habetur?*
Fit Roſa quod calcat, puber & ipſe ſenex.
Sed ſi retrograda Meretrix Rhamuſia *ſorte*
Obruerit ſolito perfida more ſtatum.
Nauis & horriſonis volet auerſantibus Euris,
Preſſaq; per ſyrtes, per freta cæca Maris:
Rebus in aduerſis qui conſoletur, Achates
Nullus erit, nullus qui ſibi reddet opem.
Dux *ditione potens* Burgundus Carolus *olim,*
Vt Deus, *omnimodo cultus honore fuit.*
Poſt vbi peruerſo Fortuna *reciproca vultu*
Compulerit trepidæ bis dare terga fugæ.
Dux *prope ſolus erat, neglectus ab omnibus illis*
Principibus, *fœdus qui pepigere ſibi.*
Exemplo cuius diſcas non millia multa
Credere Fortunæ, *ni data cauſa grauis.*

Quid faciendum ſit in deſperatis, aut cum ditiore *inimico* contendendo.

I*Sta ſed incaſſum; ni luxibus ignea torpet*
Vis; quibus arctatis, teſſera fauſta cadet.
B*u*rgundus *perijt non puro* Marte, *ſed arte,*
Scilicet Italici *proditione ducis.*
Si tamen infauſtè pugnes, ad Caſtra cohortes
Sparſas non alibi diſce redire ſua.
Certamen renouare ſalus: Deus *adiuuat exſpem.*
Victor ouans hodiè cras tibi victus erit.
Eſto Comes *belli dux, vel* Baro Nobilis; Anglos
Audieris nunquam vertere terga fuga.
Faſcinat aut Natura *caput, vel* Opinio *mentem,*
Abditus aut Genius: Dux ita, Miles ita.
Fac citò quod faceres ni ſint ærariæ plena,
Nam fera cunctari non valet arma foris.
Sicut Oues fuerint ſuperatæ, quando moloſſos
Tradiderant nimia credulitate Lupis:
Sic tu, cum Crœſo *ſubiens certamen, inermem*
Redde prius Pelago, vel ſpoliando ſolum.
Diminuendo ſoli ſegetes, alimentaq́; vitæ,
Vrbis diruerïs mœnia celſa fame.
Hoſtica mens auro confiſa, *tumeſcit in altum:*
Auri *tolle lares, officioſa redit.*
Prædis diteſcit miles, *dureſcit;* & hoſte
Facto inopi, uotis ipſe fruere tuis.
Sit demoliri tibi propugnacula cura
Vltima: vaſtata ſint prius hoſtis opes.
Cum tibi ſcribo, tuos intelligo: noſtra Minerua
Delicias Britonum *non ſinet ire foris.*

De

De *militum ſtipendijs Capitaneorum* auaritiâ detentis.

CVnctator *plerumq;* *cupit* Capitaneus *eſſe,*
Militis vt ſeruet de ſtipe lucra ſibi.
Vt Cete piſces immania fauce minutos
Abſorbent cupidâ per freta vaſta maris.
Sic foris, vt Legiſta *domi,* Dux *bellicus ambit,*
Præmia virtuti debita ſæpe vorans.
Corporis hinc pallens macie, tritaq; lacerna
Excors, non potis eſt ferre Gradiuus *onus.*

De *militibus* aſtu *Capitanei* Cauponatis.

N*Ec foris hæc tantum : quin* Dux *iter antè capeſſit,*
Pro paruo fortes ære redire ſinit.
Quando Magiſtratus *multo conamine tradit*
Inſcriptos, aptos militiæq; viros,
Contrahit interdum frontem. Cur? appetit aurum.
Æger hic, ille ſenex, nanus & alter erit.
Ipſe Magiſtratus *fortaſſe fauore, vel ære,*
Non probat inſcribi, quos bonus ordo iubet.

De *Claſſe Nauali* proſpiciendâ.

C*Vm tibi* Regna *vigent, quorum ſunt mœnia fluctus,*
Dilige Naucleros, vndicolaſq; *faue:*
Non Sciolis, ſed qui mercandi muniere functi,
Vſu magnetis mittere vela Noto;
Qui noſcunt tabulas, ſyrtes, freta, littora, ventos,
Frigida *quid reddit* Gens, *quid* aduſta *boni.*
Huc qui tranſportant ſine damnis lucra quotannè,
Qualia piſcando ſcit Noua Terra *dare.*

O vtinam nobis auſcultet Regius Heros,
Credat & expertis, Non dat Iberus opes
Tantas, apportet quantas Nova Terra Britannis,
Si foret incultus falce domatus ager:
Piſcibus *vt melius poſſent inſiſtere* Nautæ,
Commoda terra feret, commoda mille mare.
In commune bonum cura ſtudioq; recumbe,
Vt Patriota Vigil *concipe velle meum.*
Ne Turcæ Mauriq; *ratum ſpolia ampla reportent,*
Inducijs aut vi reddere tuta decet.
Ne Mercatorum *ſubitò verſutus* Iberus
Surripiat naues, *antè cauere iube.*

De vndicolis annuatim ſine Regis diſpendio procreandis.

CVm gazis noſtris inhiant perſæpe Piratæ,
Queis lucra ſunt ipſa pluris opima fide.
Auxiliatrices tres naues *adde feroces*
Sumptibus inſtructas, O Nova Terra, *tuis.*
Quarum præſidijs noſtrates tutius hamos
Tendant, & pelago retia mille ſtruant.
Hinc quoq; militiæ Mauortia *pignora creſcent,*
Tempore quæ belli ſic aluiſſe iuvet.
Nec minus excubias ſeruare Hybernia *debet,*
Semper enim captat Prædo *remota loca.*

Quod terris noſtris tot annorum culturis defatigatis, multum Reip. interſit Colonias in Novam Terram tranſportare.

VIm vegetatiuam tot aratris arida tellus
Amiſit nuper; fructificumq; ſalem.

Tem-

Tempore Maiorum, *virtus natiua Colonis*
Proſpera produxit frugibus arua ſoli.
Nunc ſuſpirat humus defeſſa ſenilibus annis,
Nec Domino profert vtile ſemen ager.
Res adventitia, velut excrementa, lutoſa,
Cretaq́, prateteunt quam citò mixta ſolo.
Haud ſecus ac Chymicus *putat elongare ſenectam,*
Cum Natura negat, futilis artis ope:
Accenſa ſimilis ſtipula medicina labaſcit,
Creta manet paulo tempore, ſicca nimis.
Si nova non apibus condis Rex, *aluea, fuci*
Ignaui fient, nec tibi lucra ferent.

Quod *Colonias* in *Novam Terram* transferendo malefactorum numerus domi decreſcet.

C*æcus in exiguis noxis, oculatior* Argo
In grauibus, ſemper ſanguinis eſto memor,
Sanguine vita fluit totos diffuſa per artus:
Sanguine *qui gaudet, gaudia morte luat.*
Quot malefactores hydrorum *more reſurgunt!*
Quos fera paupertas in ſua fata trahit!
Non ita plectantur violenta morte latrones,
His benè vivendi ſi foret ordo datus.
O vtinam tunc cum Regiones *claſſe petebas*
Auſpicio inventas, cult e Cabota, *tuo:*
Septimus Henricus *miſiſſet ad arua colonos*
Falce domanda, ſatis quæ Nova terra *refert.*
Non tot crudelis periiſſent cæde ſceleſti,
Nec quererer tragicos ire redire dies.
Sed fauſtam nobis ſpondes, Rex Carole, *ſortem,*
Quæ magis accreſcet, te mediante, *tuis.*

Nunc

Cambrenſium Caroleia.

Nunc Nova Terra *venit priſcis non cognita ſaclis*
Obuia, qua multis fert alimenta viris,
In medijs floreſcit aquis Bermuda *ſecunda,*
Vlteriùs conſtant Virginiæq; ſinus.
De tribus bis vnam, Rex *eligo* maxime Regum,
Quæ ruit in caſſes præda petita tuos.
Vel tres, ſi placeat, replebis egentibus oras :
Sum compos voti, dum tua membra vigent.
His benè repletis, non Carnificina ſuperſit,
Nam conuertuntur, Rabula, prædo, latro.

De *Inſulâ Nova Terra* incolenda & multiplici vtilitate eiuſdem *Terræ.*

P*Oſt fatum,* Gilberte, *tuum* Noua Terra *relicta eſt,*
Hyberno iacuit tempore triſtis humus :
Donec Guido *tulit ſub* Londinenſibus *alis,*
Ac ope Briſtolij *proſpera ſigna ſoli,*
Chriſticolûm *tulit ille redux, primuſq;* Britannis,
Quanta Nouis Terris *delituere bona.*
Spem dedit egregiam bis paſſus frigora brumæ,
Quòd præter Piſces *vtile reddat ager.*
Sex Hyemes Maſon *vixit* Winn quattuor *illic,*
Ambo duces *digni viuere ſæcla* Noæ.
Danubio Rhenoq; *parem parit aëra ; planta*
Frondibus arboreæ perpetuiſq; virent.
Cultaq; parturiat quicquid Germania, *præſtat*
Id Noua Terra, *feras, aligeroſq; greges.*
Hanc, nos Heroum *veſtigia clara ſequentes,*
Amplecti Britones *ſollicitamus* Ophir.
Sume Nouæ Terræ Regnum, *fundamina cuius*
Camber *in* Auſtrali, Rex, *tibi iecit humo.*

De flagitijs quæ *Piſcatores* noſtri perpetrant annuatim in *Novâ Terra.*

INvidia dudum latuerunt commoda terræ:
Ut Nautæ *tegerent annua furta dolis.*
Lignea, quæ ſocij cum clavis ſtructa relinquunt,
Evertunt, mutant, diripiuntq; ſalem.
Barbaricè hæc faciunt, vt & altera proxima claſſis
Tardetur longè ligna parando novà.
Dum citiùs naues onerant piſcando priores,
Cariùs & citiùs vendere iure putant.
Infinita patrant mala, deſpoliantq; valore
Littora, vaſtantes oſtia, ligna, nemus.
Colchidà *conſeruans conſervas ipſe* Britannos:
Et belli & pacis hæc tibi neruus erit.

De aditu per *Septentrionalem Americæ* partem ad *Indias Orientales* proſequendo.

O*Rbis in* Occiduâ *latitat via parte ſub* Arcto,
Ducit *ad* Eoum *quæ magis apta mare.*
Dux Frobiſherus, Dauis, Hudſon, *& inclitus auſis*
Buttonus *validus, hanc petiere viam.*
Cambria *non tantùm, ſed &* Anglia *laudibus efferet*
Te, Buttone, *novis, æquiparatq;* Drako.
De quot te memorem ſaluum evaſiſſe periclis?
Sunt teſtes Indus, Maurus, Iërnus, Iber.
Non glomerata tibi glacies impervia ferro,
Non hyemis longa nix numeroſa nocet:
Quin tunc vlteriùs tranſiſſes, altera nauis
Obvia ſuccedens ſi relevaſſet onus.
Albionemq; novam *nobis* incognita Meta
Tum bene vulgaſſet, per freta noſtra maris.

De

De noſtra nauigatione ad *Indias Orientales*.

*C*VM *ſine theſauri maſſa nec aromata vendat*
India, *nec mutet, quæ ſua terra refert:*
Abſit, vt hunc belli neruum Mercator *auarus*
Transferat, aut ditet Regna *inimica* Deo.
Quam ſatius foret abſq; dapum prandere patellis;
Excidio Patriæ *quam ſaturare gulam.*
Dum tibi vaticinor, non Belgis *parco; caueto,*
Ne Nautas, *moles amplificando ratum*
Diminuatis opum ſpe; manducare ſalita
Accelerat rabiem, Sole *calente,* Febris.

Quod *Magna Britannia* plures indigenas ſuſtinuerit tempore *Maiorum*, quam noſtrâ tempeſtate.

*S*Crupulus *eſt anceps & adhuc ſub Iudice, quondam*
Num plures aluit, quam modo terra viros?
T*empore* Romanæ fidei Pars vertice raſo
Gaudebat Regni quinta, *labore vacans.*
Noſtra proculdubio tamen enutriuit alumnos
Patria *tum plures, quam modò culta choros.*
Quin pro Sacrificis Iuriſtæ *nuper abundant,*
Et populus, ventrem qui putat eſſe Deum.
Si pro Ceruiſiâ *perſolueret* Anglia *cenſum,*
Ditior Hiſpano, magne Monarcha, *fores.*
Sæpe Tabernarum *numerum cohibere laboro,*
Me tamen invitâ creſcet, vt Hydra Noua.
Temporibus veterum ieiunia *multa colebant,*
Inq; eleemoſynas *copia verſa fuit.*
Sabbata *nunc mutant in* Saturnalia Bacchi;
Sanctis ſacra dies *ebrietate ſcatet.*

Sanguinis hinc nimii facta ebullitio morbos
Accerſit, minuunt hordea, languet egens.

De *caſis ſiluis* in Poſteritatis detrimentum.

N*Uper auaritia veſtro non infima peſtis*
Obtigit Imperio; *Robora vaſta terunt;*
Et ferrum cudunt carbonibus ilice verſa,
Poſtera Naucleris *vndè ruina fluet.*
Conſumptis ſiluis, diteſcens altera Regna
In detrimentum, Nympha Britanna, *tuum.*
Quomodo culturam, cymbas reparabis, & ades?
Lignea quando domi cadere nulla potes?
Virginea *eſt procul hinc, ſic &* Nova Terra: *per equor*
Conſtabit multi ligna parare tibi.
Illic duco tamen magis vtile condere ferrum,
Et ſiluas cedi, quam fabricare domi.

De *Ieſuitis* & eorum *Medicis* præcauendis.

M*Iſſopecunifices volo te,* Medicoſq: *cauere,*
Cadere Magnates quos Mariana *docet.*
Exemplo Lopez *diſcas, quam prona voluntas*
His commiſcendi nigra venena manet.
Nuper & expertum nobis, quòd Ibera Tobacco
Lethifero cordi tincta liquore nocet.
Nempè Lutheranos *odijs* Gens frontis aduſtæ
Proſequitur tantis, quòd mala multa patrent,
Et licet à magni nos Relligione Lutheri
Differimus, contra ſic tamen ore fremunt,
Et factis; credunt forè grata piacula Diuis,
Si nos ſanguinea tollere morte queant.
Otia laſciuum, facietq; occaſio furem,
Angues ſuſpectos ne reſoueto diu,

De

De *Ebrietate* compeſcendâ & *Tabernarum* multitudine reſtringendâ.

C*Vr tua vox titubat*, mea magna Britannia? Baccho
Dederis, & templum *contemerare* Dei.
Ebrietate ſcatet Germania; *pocula vindex*
Replet at humano plena cruore Deus:
Tolle moras, *iubet ipſe* Deus, *reſipiſce*, Tabernas
Effuge Circæas; *luxuriare Cane.*
Qui mala non prohibet, cum poſſit, conſcius eſto:
Has potes infames, Rex, *prohibere domos.*
Viginti valeat proprio de iure boniſq;
Libras Ceruiſiæ *venditor, abſq; dolo.*
Perſonas videat quoq; Iuſticiarius *aptas*
Et loca; quid cæco tramite potet egens?

De *Tobacconiſtarum* prodigalitate, Comprimenda.

R*Egna* Britanna *libras ter centum mille quotannis*
Expendant morbos accelerando nouos;
Non opus Helleboro, *iam quiſq;* Tobaccon ab *Aula*
Principis *ad caulam pauperis vſq; bibit:*
Vnde duplex vacuum ſentit Reſpublica, Nummi,
Et Cerebri, vacuo gaudet vtroq; Satan.
Cur tuba tardeſcit? Cur non taratantara Martis,
Horrida crudeli vis nec ab hoste, venit?
Corporis & belli neruos Gens Anglica *perdit*,
Deficit argentum, deficit humor alens.
Qui fumo *gaudet, pereat caligine* fumi,
Pectoris arctati nec bene purgat aquam.
Hecticus *hinc morbus, craſſiſq; mephitibus auctus*,
Qui Climacterico *ſempore finit opus.*

Finit opus fatale ; facit quoq; prolis abortum,
Ah nimium veneris *perfidus hoſtis,* Odor !
Eius at Hyſſopi *ſubſtantia forte ſyrupo*
Conferat Aſtmaticis , *vt medicina data.*
Vt medicamentum ſine fumis *ore retentum*
Pro liquidis morbis ipſa Tobaccon *amo.*
Hos grauiore iugo Bacchi *compeſce furores,*
Atq; Tobacciferi *colla ſuperba chori.*

Quòd conſentaneum ſit *Politicorum* inſtitutis, neminem admitti niſi ad *vnum Officium* ſiue munus in *Repub.*

QVi ſit quòd nuper tria munia poſſidet vnus ?
Alter plus meritus præmia nulla capit ?
Motibus *obliquis aut* inferiora *reguntur*
Aſtrorum, *vel nos* Sors *maleſida rotat.*
Dirigit aut Princeps mundi *mortalia : cæco*
Impete non Numen *reddere dona ſolet.*
Rex, imitare Deum ; *non vnum præfer alumnum*
Pluribus Officijs: plurima turba ſumus.
Vtile diſtribuas : Onus vnum ſufficit vni.
Vnum Paſtori *detur Ouile regi.*
Aulicus, Vrbanus, Miles, Iuriſta, *vel* Heros
Non duo poſſideat ; plurima turba ſumus.
Nos Charites Muſæq; *ſumus* duodena *caterua,*
Qualibet expectat lance libranda ſua.

Quod *Nobilium & Generoſorum filij* præcipuam partem in Rep. vindicant, ideoq; ante *plebeios Officijs* præponendi.

CVm Patris *in prolem manant cum ſemine mores,*
Scire refert multum quos in honore locas.

Cambrenſium Caroleia.

Aſpicis ut ſoboli fera virtus inſit equorum?
Ut mala parturiat coruus & oua malus?
Cur Iuriſta *rapit bona fratrum parta labore?*
Hos didicit mores a Corydone Patre;
A Patre ſordidulo, *qui cœlica iura peroſus,*
A cunis natum *tinxit odore luti.*
Sic *mala formatus* natus *puerilibus annis,*
Indè Patri zando *ſordida facta patrat.*
Inuenies rarò præclaro ſtemmate *natum,*
Munia iuſtitiæ *vertere ſtricta dolis.*
Invenies rarò generoſo ſanguine *cretum,*
In te ſeductum proditione graui.
Degenerem ſin fortè notes è millibus vnum,
Imbuit hunc monitor de Patre plebe ſatus.
Inter Iuridicos *ſi quis furit ore* Tyranni
More, vel innocuis ara luenda tonat.
Aut ſi famoſus repetundis, fraude, rapinis
Extitit, hunc novi de Patre plebe ſatum.
Sordidius nihil eſt humili, cum iura *capeſſit,*
Vix Antichriſtum *vincere fraude ſinet.*
Non mutat mores, licet oſtro mutet amictum,
Eſt gauſapina nec memor ipſe Patris.
E regionè nota, Genitor *quot honore* Iacobus
Extulit è Clara Stirpe, trophaa gerunt.
Marte vel Arte tibi decus immortale parare
Conantur terrâ, velivoloq; mari.
Dum terreſtre ſapit pregnatus ſemine terra,
Aut ſtertit vecors, aut aliena rapit.
Egregias ſpirant Heroum *pectora dotes:*
Ex alijs Chriſtus *non Genus hauſit* Auis.
Nata gubernari plebs *bellua*: *ſubdere* plebem
Magnates; *apti legibus ambo regi.*

Nobilis Officijs, *ſub* Principe *functus, anhelus*
Munia iuſtitiæ *candidiora geret.*
Altera Pars Règni Plebs ,*vt* Mechanica *turba,*
Corporeo Patriam *ritè labore iuvet.*

De *Iuriſtarum* dolis , cunctationibus, & rapinis reſtringendis.

M*Agnus honos extrà pacem componere : maior*
Diſcordes animos conciliare domi.
Erga vicinos amor incipit. Ardua quæro,
Eripe nos odijs viſcera chara Dei.
Membra licet colliſa ſumus, Rex *muniat æquus,*
Subdola ſi ſtudeat tollere bella fori.
Rab_la *bella mouet pluſquam ciuilia* legum
Prætextu; liber nullus, auarus eget.
Omnes venantur quæſtum, qui Iura ſequuntur;
Nummus vbi tinnit , candida Iura ſilent.
Vix cohibere poteſt hæc Rex *incommoda, donec*
Sit noua *damnandi* forma *probata dolos.*
Iuridicus *peccans non coram* Iudice *ſecta*
Eiuſdem pœnas, ſuppliciumq; luat.
Nobilis, *aut gratis convincat* Epiſcopus *illum;*
Pro repetundarum crimine, fraude, mora.
Alterutras Partes non Conciliarius *audax*
Fulmine fucato, ſeu reticendo iuvet,
Dic mihi, quid differt multos tolerare Tyrannos;
Radere Cauſidicos *aut aliena pati?*
Non ita diffidas tibi (*ſed* Rex *vnicus eſto)*
Graſſari Minoes *vt patiare nimis.*
Rex *Speculatorum* Chinæ *delecta ſuſurris,*
Et clandeſtinos imbibit aure dolos.
Si Mandarinum *convincit fama rapacem,*
Redditur infamis ; ſi reus, enſe perit.

Ne ſuſpecta ſemel de ſtupro Sponſa *probatur*
Cæſaris, *extorquet clam ſine teſte* Midas.
His domitis, Martis *ſeruorum millia multa*
Suſtineas auro, quod modò præda Midis.

Quod iudicandum ſit de *Cauſis* ſecundum *veterum veredicta* & *Decreta*, & non ad mobile *placitum Modernorum.*

VAuhannus *noſter* Legiſtam *nuper adiuit*
Participem caſus, conſiliiq́ ſui.
Ipſeq́ Iuris *inops non* Municipalis, *vt vnus*,
Encyclopædiæ *quem ſtimulabat amor:*
Eduardi quarti *deciſam tempore* Cauſam
Oſtendit, ſimilis nam ſua cauſa *fuit.*
Dic mihi quid ſentis ſodes? ego neſcio, dixit,
Tempore ni priſco pectora ſtricta darem:
Sed nunc arbitrij laxata repagula; Partem
Cedat in alterutram quæſtio *lata tua.*
Curia *pro libitu determinat acta moderno*,
Non ſequimur veteres, altera forma placet.
His meus: eludas Sarcaſmi *ſcommate voces*,
Non infortunas lude, Sophiſta, *meas.*
Æquiuocata ſcholis *tua linque: relinque* Chimeras:
Iudicij *metas poſtulo, iuſta peto.*
Qui pote? ſunt homines fragiles; iam quiſq́ volutat
Idæas Iudex *mente, nec abſq́ dolo.*
Palladis *at prohibet* hiſt interiectio *plura*
Hiſcere; non aures in ſcrobe tango Midæ.
Crimina non potuit Rex *extirpare* Iohannes,
Strata Lutheranâ *qua modo cernis ope.*
Et cælum pelaguſq́ ſuo diſcrimine diſtant:
Vt variant mundi Climata, tempus erit,

Cum

Cùm Themidos *pariles nova* Conſtellatio *libras*
Reddet, et, vt Daniæ, *ſingula nota libris.*
Arcanam proprio Cabalam *nec pectore ſeruent,*
Vt ſemel optaſti, Diue Iacobe, *tuis.*
Hac ego vaticinor: Babilon non corruet, antè
Litibus extinctis ſit ſtabilitus amor.
Non Antichriſtum Papam *probo nomine ſolum,*
Sed qui Chriſticolis *fert ſub amore dolos.*
Res horrenda: Sacram Domini *quòd ſumere* cœnam
Audet, qui fratri retia vafra ſtruit.
Spem tibi vox nutrit, mens damna; Columba fit Aſpis,
Mel fel: conveniunt quàm malè lis & amor?

De Spiritu Detractionis ab Aulâ eijciendo.

T*Emne* ſuſurrones, *qui lingua viribus aures*
Innocuas audent anticipare tuas.
Abſit, inauditâ cauſâ damnetur vt inſons.
Virtutem liuor concomitatur atrox.
E medio tolles rixas, ne dira ſimultas
Augeat, & tandem verbera verba parent.
Edidit hanc contra librum Vauhannus Erynnin,
Qui non ignotus, Rex *tibi* magne *fuit.*
Aulice, *ſi cupias* Momi *compeſcere linguam,*
Perlege, quo fugias fellea verba dare.

De *Aſſentatoribus* & *Gnathonibus* obſequioſis detegendis.

P*Eſtis* Adulator Regum *procul exeat* Aulâ,
Qui te diſſimulat fulmen habere Dei.
Qui ſuadet Patrij violare ſtatuta Senatus,
Aut dare Chriſticolis Ethnica iura *tuis.*

 In

In nova Pythagoras *animas migrare docebat*
Corpora, nec ſermo fabula; verus erat.
Temporibus noſtris ſolet unus mille figuras
Sumere, & in formas ſedulus ire novas.
Sis, Princeps, *hilaris, ſimulabit gaudia; mœſtus,*
Proh dolet: iratus ſellea dicta gerit.
Mars tibi, ſi bellum: navale, Tridentifer *ipſe:*
Muſica ſi laudes, Orpheus *alter erit.*
Nil negat expertus: Coruum *probat eſſe coloris*
Albi, nam Logicam *callet & Arte valet.*
Suſpice nos Charites, *& erit tibi magnus* Apollo:
Furta proba veneris, *comprobat acta* Gnatho.
Carole magne, *cave:* Serpens *res tranſit in omnes.*
Moribus eſt vulpes, Simia, leno, caper.

De *Adulatoris* implicitis & magis periculoſis inſidijs.

C*Vm ſit* Palponem *res ardua noſcere certò,*
Conſulo ſermonum te dubitare fidem.
Exitus acta probat, ceu fulva metalla caminus,
Si taxat fidos, non tibi fidus erit.
Fortè magis cautus ſub amici nomine laudat
Illum, quem ſperat perdere mente brevi.
Ut tibi ſuſpectum reddat, magis eſſe potentem
Innuit Heroem, *quàm decet eſſe* Parem.
Comparat Eſſexi *fortiſſima geſta trophæis*
Æmula Varuici, belligerq; Dei,
Pingit amicorum numeros, cenſuſq; quotannes,
Et dotes repetit, Rex, *quibus ipſe prais.*
Aulicus *artifici ſic impete ventilat aures,*
Æmulus ut Taurum *deſtruat enſe* Leo.
O miras Vulpis *coopertas pectore technas!*
Laudibus implicitis extenuare tuas.

Optime

Optime Rex, *quid ages? hominum niſi corde locatum*
Optares ſpeculum, *ſiue* Propheta *fore.*

Excuſatio *Euphroſynes* ad *Aulicum* candidatum.

IN Gauaſtonem *licet inſanire vibebar,*
Qui cenere ſolet, ſupplice more canis:
Non tamen in cordis generoſos, Aulice, *motus*
Ludo tui, Socios qui ſine bile colis.
Dum modica viuis contentus ſorte, nec ambis
In fratris damnum munia celſa tui;
Laudo tuas phaleras: intres penetralia Regis,
Vnde tibi creſcant gloria, ſpes, & amor.
Qualis Iohannes Chriſto, *vel* Epheſtion Orbis
Victori, Regi *ſis ſine fraude tuo.*
Qualis erat prudens Agamemnoni *charus* Vliſſes,
Aulice, *talis* hero *ſis comes ipſe tuo.*

Concluſio *Euphroſynes* ad *Regem.*

SI *placidis verbis tibi noſtra probetur* Opella,
Quæ Maieſtatis *ponitur ante* thronum:
Dignum iuro Patris te, maxime Carole, Sceptro;
Et iuro labris fulgur ineſſe tuis.
Sin tamen impediant grauiora negotia mentem,
Sat mihi, ſi digito tacta ſit ipſa tuo.
Idæas *fingam: te perlegiſſe;* Senatu,
Aut Aulæ Scribis *hanc meruiſſe legi;*
Aut de Vauhanno *bene te ſentire; ſed orſa*
Tradere noſtra coquis *igne voranda tuis.*
Nil moror; Albionis decorant dum Lilia ſerta,
Dum foris Arma, domi Pax, Noua Terra viget.

AGLAIA.

AD REGINAM *HENRETTEN MARIAM.*

ARGVMENTVM.

Quanta *Pudicitia* virtus, quam grata *Iehoua*
Coniugis Hebraa vita pudica docet.

QVæ tibi, Liligeræ Princeps lectiſſima Gentis,
Claraq; Borboniæ ſtirpis Alumna, canam?
Qualia pro meritis præconia digna rependã?
Conſule Suſannæ te rogo geſta boni.
Scilicet hæc quondam mulcebant dona Minervam,
Quæ tibi maiori dono, Minerva noua.
Aſpice, quam facili Sponſæ Deus aure capeſſit
Tempore deuotæ vota preceſq; breui.
Dum Cano Suſannæ virtutes, Regia Proles,
Implicito dotes carmine pango tuas.
Pango tuas dotes; O ſi mea vota placerent
Sponſæ, quam Britonum munit & vnit amor!
At placeant, ſpero, dum cor non dona revoluis:
Dum tibi pro fuluo vellere velle micat.

VRbs *apud* Aſſyrios *erat antiquiſſima ſede,*
Quà non in mundo clarior vlla fuit.
Condidit hanc Nemroth *primus prope flumina magni*
Euphratis, Turris *quà ſtetit alta* Babel:
Diues opum, diues gemmarum, diues & auri,
Extitit, egregius Martis *& artis honos.*
Cum poſt Diluuium *fuerint ter quinq; peracta*
Sacula, maiori nobilitate ſtetit.

Hi

Hic multi tenuere diu ſua ſceptra Monarchæ;
Inclita ſic Babilon vt Caput orbis *erat.*
Nabuchodonoſor *tandem conceſſus* avito
In ſolio, tenuit Regia ſceptra *manu.*
Quem lenis ambitio, ſubiectos cogere monit
Sub iuga finitimos ferreq; dura Duces.
Qui Proceres Iudæ *captiuos reddidit hoſtes,*
Zedechiam *vinclis compedibuſq; ligans.*
Impulit hos victor ſibi morigerare ſubactos,
Deſerere & Patrios, tecta colenda, lares.
Exercere tamen proprias manſuetior artes,
Et magni Sacris inuigilare Dei;
Iſacidum que duos Dominos *de ſtirpe creare*
Conceſſit viuâ voce quotannè Senes.
Illic Hebræus Ioachimus *origine vixit,*
Integer, & vitij vir ſine labe ſacer.

1 2 3 1 2 3
Nummatus, iuſtus, fœlix, dedit, obtulit, auxit,
1 2 3 1 2 3
Dextrâ, corde, fide, munera, vota, genus.

Orgia perpetuò tempſit Sybaritica Bacchi,
Falſorum coluit nec ſimulachra Deûm.
Non Harpya *fuit,* Deus, *hanc euertito peſtem,*
Quæ rapit alterius parte labore bona.
Non fuit in lites acer, non numina nummos
Duxit, nec linguam vendidit ære ſuam.
Non proprias vulgi res commoditatibus vnquam
Præpoſuit; iuſtis firma columna ſtetit.
Quid dicam trutinâ benè quam libraret in aqua,
Lis inter ſocios ſi dirimenda foret.
Illum ventoſi nunquam tumor anxit honoris,
Cui niger eſt liuor, vel mala ſanna comes,

Quamuis iniuſto vixit ſub Rege, *ſalutem*
Optauit Regi *morigerante fide,*
Nobilis hic cælebs crucis vt diſcrimina libret,
Participem ſtatuit ſumere mente thori.
Anxiferæ mundi curæ conſorte leuantur,
Mitius exilij triſte videtur onus.
Nec mora conſulitur cognatis ſtemmate, ſuadent
Vnanimes ſacrum fœdus inire thori.
Iungere connubio ſtabili, propriamq́; dicare
Suſannam *cupiunt; iungere cogit amor.*
Sed prius aſſenſus certos vtriuſq; parentis
Ambijt; abſq; quibus non Hymenæa *decent.*
Non fuit hac vnquam formoſior altera virgo,
Virgo virgineæ gloria rara chori.
Æmula conſpicuis radiarunt lumina ſtellis,
Fulſit & in roſeis gratia vera labris.
Candidius niueo velatum marmore corpus;
In cute ſuauis amor, intus & alma Charis.
Ore venuſtates, veneres *ceruice, loquelâ*
Certa fides, Domini *menteq́; ſedit amor.*
Nec mirum : claris *fuit illa* Parentibus *orta;*
Sic generoſus ager ſemina pura parit.
Vita piæ Matris Suſannæ *regula morum:*
Qualis erat mater, filia talis erat.
Erudijt Mater, *cum tres compleuerat annos,*
Cœperat & balbos, prodere lingua ſonos,
Nil niſi ſancta loqui, præcepta ſalubria vitæ,
A teneris didicit iura timere Dei.
Tantus amor Domini *creuit maioribus annis,*
Vt vitiare Fidem *non potuere* Magi.
Non venerata fuit Babilonis ſculptile Numen,
Non Moloc, *aut* Vitulo *thura cremanda dedit,*

A cunis odit miracula ficta Baalis,
Polluit indignâ nec Simulachra *prece.*
Non Abrahæ, Moſi, Samueli, *vota nec vlli*
Sanctorum, *ſoli fudit at iſta* Deo.
Defuncti Moſi, Deus *abdidit ipſe* Cadauer,
Poſtera gens Tumuli ne monumenta colat,
Improba Scortorum ſemper conſortia fugit
Nunquam ſuſpectos paſſa venire Procos.
Quando rebellantes, quos rarò, ſentijt aſtus,
Hos ieiunandi *cum prece mulſit aqua.*
Seq; domumq; patris *ſub iuris flexit habenis,*
Quæ facienda, facit, quæ fugienda, fugit.
Debita penſa ſui perſoluens muneris æquè
Multiplici forma lintea pinxit acu:
Mollia fila trahens fuſis præſtabat Arachnen,
Siue nouum tenui pectine finxit opus.
Nablia læta ſonis, operis pertæſa, Dauidis
Increpat, & tenero pollice fila mouet.
Blanda melancholica diſſoluunt nubila mentis
Muſica : *concentu pectora pacis alunt.*
Pſalmata *ſæpe iuuat modulari voce, recenſet*
Geſta Creatoris, *Plaſmata viua* Dei.
Nunc canit Ægipti *miracula, prælia, Mannam;*
Nunc ſonat Hebræi *rudera clara ſoli;*
Vt mentis mores æquent libramine vires
Corporis: has thermis Balſameiſq; fouet.
Ne teſtudo domi videatur tetrica cuſtos,
Alterna viſit rura paterna vice.
Interdum cum matre piâ *loca publica viſit;*
Nec ſine Teſte foris contulit illa gradum.
Sæpe ſolebat agros inuiſere, ſæpius hortum,
Flora coloratam quæ variabat humum.

Ætati cuius Ioachimi *congruit ætas,*
Cum forma, mores & placuere pij.
Non cunctatur; opes, genius, & miracula mores
Vtraq; pars norunt; ac Hymenæa *probant.*
Ergo Sales Hymenos, *ſubierunt iuraq; ſancta;*
Ambo conſortes, & pepigere fidem.
Quam violare fidem Nebulonum turba ſuſurris,
Impia Lenonum nec potuere dolis.
Vxorem coluit Ioachimus *amore ſororis,*
Vt Caput & Dominum prætulit illa virum:
Porta bonis patuit, ſine probris menſa, culina
Vt veſtes frugi, moribus aucta domus.
Lazarus *haud vnquam diſceſſit ab ædibus æger,*
Quin paupertatis munera mole leuent.
Vera fides factis, fructu dignoſcitur arbor,
Hæc qui diſiungit, non mihi iuſtus erit.
Halantem croceis habuerunt floribus hortum,
Hîc vbi conſuêrunt ſe recreare ſimul.
Fratribus exulibus ſpatiandi ſæpe dederunt
Quottidiè veniam per viridare ferax:
Hinc mos peruetuit crebro communior vſu,
Rectores *iſtîc conſtituiſſe* forum.
Mitis enim Zephyrus *placidas afflauerat auras,*
Inq; horti medio fons peramœnus erat.
Dimiſſis ducibus, populiſq; clientibus, hortum
Suſanna *aſſueuit ipſa videre ſuum.*
Quod cum Rectores *oculati ſæpe notarint,*
Membra Cytheriacis *incaluere iugis:*
Augentur magnis incendia motibus orta,
Et male-ſana monet bella duobus amor.
Nunc errant, ſed alunt errando vulnus amoris,
Nunc metus auellit, nunc metuendus amor.

Spe modò lactamur, ſed ſpem præcepta Tonantis
Euertunt, tamen hæc omnia vincit amor.
Talis amatorum retinet diſcordia ſenſus,
Tanta Cupidinei *vis truculenta iugi.*
Non ita ſulphureis flammabat motibus Ætna,
Tantus in exſuccis oſſibus ardor erat.
Haud tamen audebat Rectori *pandere Rector,*
Carnificis punctum pectus amoris acu.
Quadrigis medium peragrauit Cynthius *axem,*
Atq́; laborantes duxit anhelus equos:
Soluendi iam pane fuit ieiunia tempus,
Alter in alterius lumina fixit amans.
Protulit hæc etiam, non Solem perſpicis æque
Colluſtrare orbem lampade, fide comes?
Ergo reuertamur ſumamus prandia curis
Anxiferis fracti: nos iubet ire fames.
Inquit, & in proprias iuerunt protinus ædes,.
Sed mox regreſſum præbuit alma Venus.
Non etenim Cereris *potuerunt munere paſci,*
Nec dapibus, reditum præbuit acer amor.
Attoniti celeris remeatus, quærere cauſam
Tentârunt ſubitam liberiore modo.
Liberiùs, longis quid verò ambagibus vtar?
Regreſſus cauſam dixit vterq́; ſui.
Suſannam *viſco prædam cupit eſſe trahendam,*
Quæ morbi preſens ſit medicina grauis.
Vnanimes igitur loca conuenientia ſtupro
Captârunt, tempus, conueniensq́; dolo.
Æſtus erat, Cancri Sol *& tendebat in altum,*
Corpora colluſtrans inferiora face.
Omne ſub arboreo requieuit tegmine Brutum
Algentes petijt Ceruus anhelus aquas.

Suſanna *ancillis aderat comitata duabus,*
Vt lauet in riguo membra niuoſa lacu.
Hîc vbi ſucceſſit credens fore ſingula tuta,
Tales innocuo protulit ore ſonos :
Linquite me ſolam modò, moxq́ redite puellæ,
Suauia cum nardis ſmegmata ferte mihi.
Sol coquit, & radijs artus penetrantibus vrit,
Vt mea membra leuem, balſama ferte mihi.
Hæc ait, & Dominæ *præſtant mandata puellæ,*
Figentes abeunt limina clauſa ſeris.
Corpus vt irriguum poſſet citò reddere, veſtes
Exuit occulti neſcia Nympha *doli.*
Prætores *verò, qui iam latuere ſub vmbra,*
Accedunt ad eam, nec ſine felle, duo.
Carectis latebriſq́ ſuis poſt terga relictis,
Laſciuis adunt talia verba modis.
Dulce maritalis decus (ô Suſanna) *cubilis,*
Demum per longas nos redamato moras.
Ignoſcas culpæ ſi ſit modo culpa, precamur,
Et ſedes flammas (mitis amica) ſatas.
En ſumus in tuto, clauduntur poſtibus horti
Limina ferratis, nemo videre poteſt.
Deuincito ſenes benefactis, ſiqua ſenecta
Mollis honoranda tangere cura queat.
Sin autem dictis ſanis peruerſa repugnes,
Nec precibus noſtris commoueare procax :
Dicemus facinus te perpetrare, toreſum
Inq́ ſinu iuuenem ſponte fouere tuo.
Ergo coegiſti petulanter abire puellas,
Ne teſtes huius criminis eſſe queant;
Sic in Tartareum *te detrudemus* Auernum
Damnatam, noſtrum turpiter ante thronum;

Et necis & vita nos eſt penes omne, caueto,
Ius : quam ſuaue, vide, eſt viuere, triſte mori.
Vix ita finierant vetuli *: cum mœſta capillos*
Suſanna *& lacbrymis rorat vt amne genas.*
Talia turbata perfudit verbula voce:
O Deus, *in quantis verſor egena malis.*
Quam ſubitò noſtrum Fortuna *nouerca rotatu*
Dura molendinat lubriciore ſtatum.
Quam ſubitò fauſtam me circuit arte doloſa,
Infauſtam reddit conſilioq́ malo.
Arboreas Boreas *glandes vt voluit acerbas:*
Sic ea me miſeram voluit acerba magis.
Sic me confundit, modò qua fœlicior vlla
Non fuit, ô quantis verſor egena malis.
Eſt Deus *in Cœlo,* Proceres, Deus *omnia cernens,*
Qui ſcelus æterna vindicat omne nece.
Hoc petitis vitium mulctabile vindice pœna:
Immeritò at veniens pœna dolenda venit.
Hei mihi, quid faciam? ſi morigerare recuſem
Vobis, effugiam quo fera fata modo?
Sponte tamen cupio ruere infera fata ferenda,
Fœdera ſponſati quam violari thori.
Hæc vbi fata fuit, famulares voce canora
Accijt omnimoda proſperitatis inops.
Clamarunt etiam ferientes æthera magno
Obſtrepitu Proceres, *irruit inde chorus.*
Suſannam *violaſſe thori ſocialia iura*
Narrarunt vetuli, *teſtificante fide.*
Obſtupuere omnes, qui confluxere propinqui,
Talibus auditis, quæ modo vera ferunt.
Suſannam *quoniam vitijs infamia nullis*
Hactenus infecit, quæ modò vera ferunt.

Craſtinus Eois *vbi ſurrexiſſet in vndis*
  Phœbus, *inaurata lampade nigra fugans:*
Iudiciale forum Proceres *petiêre Luporum*
  Inſtar, & Vrſorum, quos premit atra fames.
Protinus accerſi mandabant ante Tribunal,
  Coniuge cum natis qua comitata venit.
Sed faciem Vetuli *nudari Sindone tectam,*
  Vt forma ſatient lumina ſpurca, iubent.
Continuò ſurgunt cum maieſtate ſuperbi,
  Haecq; venenata crimina voce ſonant,
Heſterna dum luce leuì conſedimus herba,
  In Xiſto (fratres) *Sole tepente, duo.*
Iſta gradus mulier cum ſeruis contulit illuc,
  Neſcia quas noſtrum iuſſit adire domum.
Appoſitis foribuſq; ſeris accedere pulchra
  Vidimus (infandum) conditione virum.
Vidimus amplexus: quis non & cœtera noſcit
  Ludicra? quæ fieri cœca libido probat.
Monimus inde ſcelus verſus veſtigia lenta,
  Vir potior nobis fugit at ille pede.
Dixerunt: vulgi conclamat tota Corona,
  Flagitium dira tam graue morte luat.
Lictores illam ducant ad ſaxea fata:
  Protinus vt ſimplex ducitur agna foras.
Inter ducendum, ſummo lacbrymoſa Iehouæ
  Rettulit innocuis talia vota labris:
Auxiliare mihi latura indigna miſellæ,
  Qui ſine principio es, qui ſine fine, Deus.
Te nihil arcani mentis latet, omnia noſcis,
  Noſcis me leges non violaſſe tuas.
Noſcis adulterij mihi deteſtabile crimen;
  Non merui pœnas, O Deus, *affer opem.*

Non

Non ego ſculptilibus *fido, tibi ſupplico ſoli,*
In te ſola, Deus, *ſpes ; miſerere mei*
Sic ait, & facili quæſtus Deus *aure capeſſit:*
Mox Sanctus *puerum* Spiritus *intus agit.*
Suggerit æthereas, Danieli *ſuggerit auras,*
Qui cordis veri callet operta, Pater.
O ciues, ciues, (inquit) *quò tenditis, huius*
Sum vacuus fraudis, retroredite citò.
His dictis; populi, *quænam ſententia, dicunt ;*
Eſt animi, paucis dicito, parue puer.
Is ſacer, ingenti circumuallante caterua,
Angelico tales edidit ore ſonos :
Quam cœcis Gens eſt Iacobæa *voluta tenebris,*
Vt videat Cerebri lumine nulla bona.
Vt non ſub iuſto Matronam Iudice *iuſtam*
Approbet, & teſtes puniat enſe reos.
Iudicium veſtrum reuocate, recedite Turba,
Sunt de Suſannâ *non niſi ficta ſenum.*
Ergo gerunt illi morem, populiq; recedunt,
Aſſidet & celebri Iudicis *ipſe throno.*
Diuerſaq; iubet vetulos *ſtatione morari,*
Alterutrum tantum ſcilicet ante thronum.
Rettulit & Vates in apricam fœteda vita
Profertur lucem (vir male-ſane) tua.
Contaminata malis tandem tibi vita ruinam,
Vlciſcente Deo, *ſanaq; fata parit.*
Bellerophontæum *cur portas ipſe flagellum ?*
Iudicioq; tuo cur cadis ante diem.
Non animum terrere tuum potuere ſacrata
Iura pudicitiæ, nec reuerenda Dei *?*
Arboris aſt illam cuius mihi fare ſub vmbra,
Rumpere vidiſti fœdera pacta viro.

Leutiſci vidi dum concubuere ſub vmbra,
Reſpondit: Daniel *cui tu'st boſce ſonos.*
Improbe mentiru ,Domini Angelus *ecce propinquus*
Vt tua plectantur crimina fœda nece.
Sic ait; egregiumq́; vocat ſocium, iſta profatus,
Huc ades & Chami *ſanguine nate mihi.*
Siccine veſanus tadam ſub corde Cupido
Abdidit ardentem, flammigeramq́; tuo?
Siccine Iudaicas *flagras vitiare puellas?*
Siccine matronas in tua vota trahis?
Sed non hæc mulier patienter vota ferebat,
Non erat hæc hamis illaqueanda tuis.
Si modò vidiſti iuuenilia ludicra, planta
Illos ſub cuius fronde iacere refer?
Rector *ad hæc: patula pariter ſub tegmine Quercus*
Vidi; vatidicus ſed puer ore refert:
Tu quoq; fudiſti falſa mendacia lingua
Vt te tollat, adeſt Nuncius *ecce* Dei.
Applauſere omnes, ſonituſq́; dedêre canoros,
Cantantes Regi *carmina mille Poli.*
Conuictoſq́; ſenes *lapidarunt vindice lege;*
Scilicet hæc habuit præmia turpis amor.
Mandarunt etiam præconia digna libellis
Suſannæ, *nullo deperitura die.*
Nec non aflatum Danielem flamine ſancto
Inter honorandos inſerüere Duces.

THA-

THALEIA.

ARGVMENTVM.

Qui duo *Martyrij* iacuerunt ſtigmate plexi,
Fulmina prædicunt *vindicis* atra ſtupris.

S*Alue* Feſta dies, *qua ſunt rediuiua* librorum
E Sodomæ vicis *corpora cæſa* diùm;
Corpora, ſexcentos *quæ ſpiritualiter* annos
Et iacuere foràs, ac inhumata ſimul.
Non Euangelij *populo* Caput *obtulit vnum*
Presbyter, *in tenebris nam latuere* ſacra.
E tenebris nemo patrio ſermone Latinis
Audebat Papæ *vertere* ſacra *metu.*
In Gothico *tamen eſſe patet, ſermone* Britanno,
Tempore lecta tuo, Iuſtiniane, *patet.*
Poſtmodo delituit Sacra Biblia, *ſanguine donec*
Martyrij *fuerit Gratia parta* Dei.
Anglus Wicliuius Myſtes, Huſſuſque Bohemus,
Teſtibus his *vitam reſtituere nouam.*
Tranſtulit in noſtrum Tindall *idioma* Lutheri
Tempore, ſed furtim lecta fuere diu.
Poſt quinquennales Mariâ ſub Principe *flammas,*
Lux Euangelij *nos ſine fine beat.*
Hæſitat hîc Elephas, dum vadit tutiùs Agnus:
Muteſcunt Aquilæ, dum Philomela canit.
Pagina ſacra Lupos & Oues facit eſſe ſodales,
Lacte ſolet pueros, pane fouere viros.

Quiſq; poteſt hodiè rationem reddere promptè
In Chriſto Fidei Teſtibus hiſce *ſua.*
Romaniſta, *tibi ſecretum prodo,* repertis
Vera Typographicis floruit ipſa Fides
O fœlix Prelum, *ſeu* Teutonis ora ſacrato
Flamine, *ſeu nobis te Noua* China *dedit.*
Auſpice te, reduci ſub Relligione *redibant*
Aurea ſacla, Babel, *te duce, celſa ruit.*
Te duce, rimamur Synagogæ *indagine nanos,*
E tenebris Teſtes *eruimuſq;* duos.
Viribus iſtorum denuntio vindicis *iram,*
Si non pœniteat, qui mala ſtupra patrant.
Cur Deus *horriſonis ſubmerſit fluctibus orbem?*
Vindicta cauſam ſtupra dedere grauis.
Loth Sodomâ *euerſa vixiſſet crimine liber,*
Ni te Natarum *collutulaſſet amor.*
Marte Moabitas *caſos tamen* Ammone *& ortos,*
Inceſtus fructus, Pagina ſacra *refert.*
Sic Iſraëlidos *temerè correptus amore,*
Dicitur inuitam contemeraſſe Sichem.
Non tamen exultat vitiatâ virgine dudum,
Vindicat hoc facinus cum Simeone Leui.
Cur à Rubeno *diſceſſit gloria maior?*
Polluit inceſtus fraude cubile patris.
Non imitabatur Fratris veſtigia Ioſeph,
Reſpuit vxorem qui Putipheris heram.
Quomodo perdiderit vires fortiſſimus Heros
Sampſon? Laſciuo cœcus amore fuit.
Propter Bethſabeam Vates Dauid *aſtibus vſſit,*
Et proprio miſit Coniuge *ſcripta* Ioab:
Tollat vt inſontem miſerandâ ſtrage Maritum,
Scilicet in belli fronte priore cadat.

Sed Deus *aſpiciens oculis mortalia iuſtis,*
Inflixit nato noxia fata Notho.
Adde quod & vidit diſcerpi viſcera, Natos
Alterutrùm ingulis figere tela ſuos.
Quid Salomona *piâ de* Relligione *coegit?*
In promptu cauſa eſt : flagitioſa Venus.
Ex Holophernæis Caſtris *euaſit* Iudith,
Enſe Ducis *proprio ſcidit & ipſa caput.*
Retia Rectorum *magna* Babilonis *in hortis*
Helchias *effugit cauta parata* ſenum.
Cùm Clandeſtinis carectis ambo latentes,
Tentârunt nupti ſoluere iura thori :
Ille ſtupri vindex, *ſacro mediante* Puello,
Vertit in Authores *retia ſtructa* Deus.
Agniferum Iuuenem *cur quondam prodidit* Herod
Fatis? Illicitus prodere iuſſit amor.
Fœmina præſtantis forma, coniuncta Philippo
Fratri *Coniugij fœdere* Regis *erat.*
Cuius inexpleto Princeps *correptus amore,*
Fœdauit Fratris *Connubiale Thorum.*
Nec puduit propria ſub nomine Coniugis Herod.
Poſtmodo Sponſatâ nocte dieq; frui.
Hæc vbi ad auditum perduxit fama Iohannis,
Nec potuit Vates *vera tacere pius.*
Talia magnanimus facundo protulit ore:
Non licet alterius commaculare Thorum.
Abijce, Rex, vetitos thalamos, nec Coniuge gaude
Fratris, ne fias obuia præda ſtygi.
Inſtitit his Vates : *mulier ſed adultera vita*
Inſidiabatur Vatis, *& arma parat.*
Iamq; illata dies aderat, Lux annua Regis,
Ob Natalitium *quam celebrare ſolent,*

 Con-

Conueniunt Proceres Galileïdos *Orgia* Baccho
  Cantantes, reſonant atria mille modis.
Vt Deus *in ſolio cum maieſtate locatur*
  Herodes, *ſociâ cum meretrice ſuâ.*
Mox Natâ *ingreditur magna comitante catervâ,*
  Corpore pulchra ſatis menteq; fœda ſatis.
Incipit ad numeros terram calcare Puella,
  Inq; modum gyri ducere læta pedes.
Hæc placet Herodi, *placet hæc* ſaltatio *matri,*
  Complacet & Ducibus *nænia vana ſuis.*
Luſibus exactis, Princeps *vocat ebrius illam,*
  Et quodcunq; petat, ſe dare velle vovet.
Exit promiſſis Aulâ *gauiſa* Puella,
  Clamq; rogat matrem *quod petat; Illa refert:*
Quære Caput Vatis, mea Filia, quære Iohannis,
  Qui nos perſtringit, qui mihi voce nocet.
Inde dolis vafra Genitricis Filia *docta*
  Prodijt, & tales fudit ab ore ſonos:
Baptiſtæ, Rex magne, caput pro munere poſco,
  Per tua vota prius non reneganda modo.
Obſtupet Herodes *mœſtus tam dira roganti,*
  Ne tamen acclament ſe violaſſe fidem:
Imperat (heu) ſanctum mox decollare Iohannem
  Lictori, Natæ *reddere lance caput.*
Comparis hæc proprij maculatrix Fœmina lecti
  Herodem *tantum cogit obire nefas.*
Corda Libido *premit demulſa tenacibus œſtris,*
  Dulce vbi mel ſudat, more volantis apis.
Inclite Rex, Chriſti Templum *maculare caueto,*
  Regales *animos copula ſancta decet.*
Si ſemel arrigeras facilis Sirenibus *aures,*
  Gaudia prætereunt, finis amaror erit.

Vino

Vincitur exiguo non custodita labore
Arx; anima ſedes proditione cadet.
Illiciti ſiccare cupis ſi flumen amoris,
Aggeribus validis prima fluenta preme.

AD AVLICOS QVOSDAM NOBILES ORPHEI Iunioris Epigrammata CAROLEIA *in auſpicium Regalium Nuptiarum.*

AD EXCELLENTISSIMVM PRINCIpem Ducem BVCKINGHAMIÆ.

ARGVMENTVM.

Laudibus effertur *Dux Buckinghamus* æquis,
Quod iuuit curis hæc Hymenæa ſuis.

S*Iccine* Regnorum ſpem Buckingamius Hæros
Excubijs iuuit præſidijsq́; ſuis?
Externis Dominum *dum concomitatur in* Oris,
Vt tacitus ſineret vulnus ab hoste dari?
Quam bene Dux *fecit, vel quam male, indicet alter:*
Non illi gratos cantus Iberus *aget.*
Noſcimus hoc, Princeps *languebat ſaucius ictu,*
Tollere quem Medicæ *non valuere manus.*
Qui vicit multos hoſtes, ſuperatur ab vno,
Carolus *in medio pectore vulnus alit.*
Quem Lis, ambitio, luxus, timor, otia, liuor,
Vincere non furia, nec potuere doli:
Succumbit Veneris *iaculis, penetrantibus armis,*
Nec potis eſt flammas vnda rigare ſuas.

Non valet expertus raris Podalirius herbis;
  Herbarum vires experiundo nocent.
Hippocratis dentur Catapotia, Pharmaca, ſucci;
  His bene curari reſpuit acer amor.
Balſama nil proſunt Arabumque ſcientia docta,
  Nil valet Elixir, nil medicina moly.
Floret apud Gallos, inquis, quà lambit & ambit
  Sequana Parriſium, Diua perita, ſolum.
Illa poteſt, miranda canis, depellere ſolo
  Tactu, vibrauit quod pharetratus amor.
Illa miniſtrandi callet lac virginis artem,
  Cui longè cedit Lac, Paracelſe, tuum.
Protinus accerſi vult Rex, opponit Iberus,
  Opponunt alij; Gemmea Nympha fuit.
Scilicet hæc ſuperat gemmata monilia Pallas,
  Magnanimum Regem quæ releuare queat.
Signifer ignauos menſes torquere videtur,
  Dum Rex incuſat tædia longa moræ.
Poſt varios rerum, Dux inſigniſſime, caſus,
  Tu Mare traijciens Regia vota leuas.
Te præſente fuit Cypriâ Rex ſaucius haſtâ,
  Nunc ope Virgo tua rara medela manet.
Inter tot mundum luſtrantes lumine Stellas,
  Nulla magis conſtans quam Cynoſura Polo.
Nondum Magnetis mirabilis arte reperta,
  Hac ſine non auſus ſcindere Nauta Mare.
Inclite tu Princeps, fulges Cynoſura duobus
  Regibus, expertis pectoris ima tui.
O miras dotes Heroo pectore natas,
  Flectere quæ Reges ſic potuere Fide.

Ad

Ad Reuerendiſſimum in Chriſto Patrem Dominũ IOHANNEM WILLIAMS, Cambro-britannum Epiſcopum Lincolnienſem & Cuſtodem magni Sigilli Angliæ.

ARGVMENTVM.

Ægide Palladia Cambrenſia Cantica muni,
Oppugnaq; dolis, *O Wiliamſe* ſacer.

MAgne vir Eloquio, Moderator maxime legum,
O meliore meo Carmine digne cani.
Seu tibi ſpinoſas extorquet Curia curas,
Dum dirimis tetrici iurgia vana fori;
Seu Scopuloſa Patrum *referas* ænigmata *mente*;
Seu cautus foueas Paſtor Ouile tuum;
Seu recreas animum Septenâ Palladis Arte;
Seu legis Hiſtorias; *ſine labore vacas*;
Te precor, ut vertas in Regis *lumina* Tædas,
Stridentes Muſas *&* *tueare ſonis.*
Si Liber *haud placeat, mutes examina libra,*
Vulcano *nanos ſacrificesq́; meos.*
Iudicium *tamen acre tuum non quæro, reſerues*
Iſtud Cauſidicis: *ſat mihi lima breuis.*
Tu maiore potes Regem *celebrare* Camœnâ,
Regaleſq; Faces nobiliore melo:
Dum velut anſer iners Thameſinos *inter olores*
Obſtrepo, tu tranas nubila, dulcis Olor.
In*ſtar es ambroſia, manna, vel palmitis inſtar*
Nectare lætificans pectora noſtra tuo.
O quam mole graui Reſpublica *noſtra recumbit,*
Inq́; tuo ponit ſeria magna ſinu.
Arcanis animæ *dicenda tacendaq́; libras,*
Senſa nec admittis, quæ tibi prima ferunt.

Ingenio

Ingenio Legiſta *tuo tituloq; potenti*
Invidet , *&* Cambri *vincier ore dolet.*
Hinc dolus *elinguis*, *ſtupet* æquiuocatio, *lapſum*
Formidat, Cleris *dum* Themis *alma redit.*
Quòd tenebras pulſit, Germania *læta* Lutherum
Iactat, *& egregium nomen ad aſtra vehit.*
Cambria *te gaudet nato*, Vulpina, quod arte
Arbitrioq; tuo fraus, Williamſe, *perit*.

AD NOBILISSIMOS FRATRES COMITES PEMBROKIAE & MONGOMERIE.

ARGVMENTVM.

Ornantur *Comitum* ſub imagine *Buſta Iacobi:*
Regem concelebrant *Aulica turba nouum.*

A*Mbo pares* Comites *fraterno ſanguine iuncti*
Condoluere tua, Diue Iacobe, *neci.*
Mongomeriq; Comes Thameſin *prope flumen in horto*
Inveniens Fratrem, *talia voce dedit :*
Aurea quæ mundum magno ſplendore refecit,
Extinxit ſubitò Nox tenebroſa Facem.
Iam tegit Eclipſis *vultum, modo nubila condunt :*
Sic mutat ſolitas dura Nouerca *vices.*
Induitur variјs eadem per tempora plumis,
Nunc hilaris ridet, nunc furibunda tonat.
Quæ modo vidiſti pictâ floreſcere veſte
Germina, brumali tempore nuda iacent.
Quem modo vidiſti Regnis *populiſq; potentem*
Omnibus invitis invida Parca *rapit,*

Te

Cambrenſium Caroleia.

Te gemo defunctum, Rex optime, nocte ſilenti,
  Cum micat in ſummo Parrhaſis vrſa polo.
Te gemo defunctum vitâ, cum Phoſphorus vndis
  Exit Atlantiacis, incipiente die.
Tu mihi Diuus eras, Auguſtus, fautor, aſylus,
  O decus, ô animæ portio ſumma mea.
Hæc ait: at prodeſt nihil Heros ſubdidit alter,
  Expleri lachrymis; fletibus eſto modus.
Siſtito lugubres gemitus, ſuſpende dolorem;
  Quid iuvat immani plangere corda manu?
Omnia Pacificus ſuperauit monſtra Iacobus,
  Sortis & adverſa victa trophæa gerit.
Ficta Poetarum res eſt Fortuna, voluntas
  Sola Dei vaſto quicquid in orbe regit.
Nunc huc, nunc illuc rapit, immiſcebit amaris
  Dulcia, poſt noctem lumina clara dabit.
Poſt horas aliquot nova ſunt reditura Britannis
  Gaudia, nam Phœnix Regius alter erit.
Ecce nouum mundum, victricia tempora; nulla
  Tam fera, quin blando vere leuetur, hyems.
Vix vbi Pembrokiæ Comes hæc affatus, in Aulâ
  Audijt in numeros exhilarare choros.
Attoniti primùm Comites, quæ iubila quærunt,
  Quid tuba, quid ſtrepitus, tympana, clangor, agant?
Quid ſibi turba velit, mirantur, tanta repentè?
  Cur tremulos reboat buccina ſera ſonos?
Heros Mongomery de ſeditione timebat,
  Obuius aſt illis iſta Satelles ait:
Vos ô Cambrenſis clariſſima ſidera Gentis,
  Sol nouus exoritur, Carolus alma Charis.
Soluitur Eclipſis; iubar auricomumq; fugauit
  Nubila. Iam Phœnix alter in orbe viget.

Carolus

Carolus *amplecti dignatur amore* Britannos,
  Carolus vrbis honor, Carolus Orbis amor.
Carolus in Solium conſcendit iure Paternum,
  Nos in tutelam ſumere pronus, Echo. onus.
Carolus, *vnanimes*, Viuat Rex Carolus, *orant.*
  Succedat Regnis *dulce levamen. Ech. Amen.*
Carolus *ambobus* Rex *munia donat in* Aulâ,
  Alterutris ſertum donat Ouale. Ech. vale.

AD COMITEM NORTHAMPTONIÆ
Cambriæ Præſidem de Cambrenſis ſtatus
vicißitudine.

ARGVMENTVM.

Hîc tibi Cambrorum Præſes diſcrimina ſortis,
  Retia Iuridicûm diſcutienda refert.

C*Vm* Sol *occubuit, titubauit* Cambria *voce,*
  Quod viduata fuit, quæ prius vxor erat:
Poſtq́ recollegit ſolitum natura vigorem,
  Hæc Northamptonio *protulit ore ſuo:*
Ergone perdiderit titulum tua Cambria Sponſæ*?*
  Deſinet & Princeps Carolus *eſſe meus?*
Abſit, & auertat Deus *omen; nomine tantum*
  Mutato ſua ſum, Rex *erit ille meus.*
Lubrica ſecuro ludit Fortuna *rotatu*
  In nos Cambrenſes; *nam ſine nocte ſumus.*
Sic poſt diſploſas nubes redit aura ſerena,
  Poſt triſtes morbos gratior alma ſalus.
Abſq́ ſtupore tamen mortis meminiſſe Iacobi
  Non poſſum, ſortis dum malefacta noto.

Omne

Omne nefas, dolus omne, dolor, quò lumina vertis;
Paruus homo mundus, mobile mundus opus.
Tempora mutantur, petulantia regnat vbiq;
Plutus *vbi loquitur, magnus* Apollo *ſilet.*
Aſpice, quam paruas irretit Aranea *muſcas,*
Aſpice, quam magnis Lex *cito muta venit.*
Filius *incedit* Terræ Regalis *amictu,*
Et ſe Lucifero *indicat eſſe parem.*
Omnia vana: Venus, *fraus, rixa, taberna,* Tobacco,
Donaq; *ſunt ipſo pluris opima* Deo.
Dæmonis *experti rabiem prope mergimur vndis,*
Paſſuriq; malis his grauiora ſumus.
Non Falces *potuere tui, non* Sceptra Iacobe,
Non tua Maieſtas *hos cohibere dolos.*
Tot ſunt Iuriſtæ, Comes illuſtriſſime, *nobis,*
De *Grege* quod Chriſtus *nos negat eſſe ſuo.*
Electis Amor arrha datur, Fideiq; ſigillum,
Quo ſine frigeſcunt cætera facta duce.
Væ Rhadamanthæis; *væ væ* Iuriſq; peritis,
Vincere qui luſo litibus ære ſolent.
Et niſi maturè Res *proſpiciantur* agendæ,
In peiora ſtatus Regnaq; damna ruent.
Crede mihi, Tu *multa potes fraudando ſceleſtos;*
Sin vis Cauſidicis *credere pauca potes.*

AD NOBILISSIMVM COMITEM DE CARLEIL.

ARGVMENTVM.

Nobilis hic primum *Legatus* fœderis actor,
Vnde *Roſis* noſtris *Lilia* iuncta vigent.

TOt te, Carleili Comes, *exantlaſſe labores*
Pro Patriâ, teſtes Extera Regna *ſonant:*

Vt

Vt lites Anglos priſcas renouare putarem
In Scotiam, lites ni ſuperaret amor.
Non diſcerpta odijs renuit Germania, nomen
Pro pacis ſtudio concelebrare tuum.
Hoſpitio quoties vigilem te Gallia cœpit,
Dum benè Legati munia celſa ſubis?
Regibus hinc placuiſſe tuis quam maxima virtus,
Regna Britanna canunt, chartaq́ʒ prodet anus.
Regibus externis placuiſſe laboribus addit
Alas, conciliat perpetuumq́ʒ decus.
Auſpice te, fruimur Reginâ, fœdere, famâ,
Quæ ſunt Semideo grata trophæa nouo.
Huc collimatur ſudorum ſumma tuorum,
Metaq́ʒ qua punctum rettulit omne boni.
Quid magis expectas? tua non potioribus alis
Virtus in terris fungitur; aſtra petit.
Cum bona prætereant, vt & omnia lubrica mundi,
Cœlo virtutis præmia reddet Honos.
Interea craſſum ne deſpice munus amici
Cambrenſis, qui vos ornat honore Scotos.
Et ſi fortè Novæ Regalem perſonet Aulam
Terræ fama, Novam Colchida iure voca.
Meq́ʒ fauore tuo dignaberis Orphea Cambrum
Dicere, Cambriolam qui tibi promo Novam.

AD COMITEM HOLLANDIÆ DE *Regiâ Francorum* appellat *le Louvre.*

ARGVMENTVM.

Hîc *Comes Hollandus* Miracula vincere mundi
Reginæ noſtræ *Tecta Paterna* facit.

AVdiit vt *Cambros Odas Hollandicus Heros*
Promere *Caroleas*, accerſiit Orphea vatem;
Quid ſcripturus, ait? diffudit inertia mollis
Non redimenda tuis obliuia ſenſibus, vndis
Ac ſi Læthæis ſitienti pocula fauce
Fœta propinaſſes: Regalia Louvrea, Tædis
Quæ genuere nouis omen, quibus auſpice Iova
Tanta fuere tuis fœliciter orſa *Britannis*,
Cur neglexiſti, natalitijque ſecundas
Sedes? Albionis ſi Climate Diua fuiſſet
Edita, quam citius refricarem mentis acumen,
Et Natale ſolum conarer ad æthera ferre?
Sint deſueta licet, *Muſarum* porrigat vnus
Plectra mihi, culpæq; tuæ ſine vindice *Phœbo*
Ipſe ſatisfaciam, taleſq; ex tempore verſus
Clarus compoſuit *Comes*, haud ſine diuite venâ:
Sunt quibus Elæi *labor eſt monumenta* Tonantis
Inſigni celebrare Camœna:
Vel Babilonis *opus*; *bimaris vel celſa* Corinthi
Mœnia; *vel miracula* Nili
Dædala Piramidum; *triniaq; ſuperba* Dianæ
Templa; Rhodi *ſtructumq;* Coloſſum;
Cum Capitolinâ Mauſoli *ſede* Sepulchrum
Extollunt alij per Oliuæ
Et Lauri, *Mentis ſonitantes gaudia, ſerta.*
Sed mendax me Indice fama

Hec

Hae laudanda canit, ſed non miranda vetuſta,
Præſertim cum Gallia *longè*
Vicerit. Henricus *re* Rex *&* *nomine* Magnus
Bella Palatia condidit, audax
Cum Salomonæis *eadem conferre. quid obſtat?*
Reſpice lignea, marmor, & aurum.
Annonis lintres numeroſos ſpectat onuſtos,
Quales Sequana *portat ad vrbem.*
Undique telluri Natura puerpera dotes
Et Cerere *&* Baccho *granidata*
Reddit: quam vario depingit pulchra colore
Auricomans viridaria Flora:
Mollibus Heſperiâ *ſpirante afflatibus aurâ,*
Vt Paradyſo *membra fouente.*
Gratulor Henrette *natiua* Palatia *tanta*
Parriſijs; *vbi fœdera nuper*
Hector magnanimus *cum noſtro ſanxit* Achille.
Cedant Eſcurialia Tecta,
Splendida pro Monachis *quæ* Rex *fabricauit* Iberus.
Et Pacquinia Regia Chinæ,
Et Mahometigenæ, Serralia dicta, Tyranni
His collata Palatia *ſordent.*

AD VICECOMITEM FALKLANDIÆ
proregem Hyberniæ & ad Dominũ *Georgium Caluert*
Equitem auratum, Baronem Baltimor
de Baltimor.

ARGVMENTVM.

Heroas laudat, *Generoſos* taxat inertes;
Quantaq; det *Patria Terra Nouata* refert.

ILluſtres animæ, digniſſima pectora Cœlo,
Cambriolæ Socij participeſq; meæ:

Quot

Quos peregrina ſubit pia cura Nepotibus arua
Incolere, atq; nouis indere ſemen agris.
Heroes vere claris incumbite cœptis,
Pergite & hanc Terram falce domare Novam.
Impenſæ, fateor, ſumma: mihi conſtitit, æris
Tres quantum fortes mole grauaret equos,
Non tamen invideo Socijs in honore locatis,
Cedere queis Regis Prerogatiua iubet.
Nec moueor titulis, ſed auaris mentibus horum,
Languida qui Chriſti membra perire ſinunt.
Commoueor certè, quòd pondus invtile terræ
Tam ſteriles fructus, commoda nulla ferat.
Degenerat terra proles, cui copia rerum,
Aut ſequitur ſortes, aut aliena rapit.
Iugera tot fundi cumulat, quot miluus oberret
Vix horis ſeptem; vel graue fœnus amat;
Vel nimis aſſe tenax, ſibi ſolus oluſcula ſorbet
Elatus vilis condicionis Eques.
Vel colit accipitres, catulos, remoraſq; honorum;
Vel varios habitus, otia, ſcorta, merum.
Mens pia non titulum, ſed motum ſideris inſtar
Iactitat, & Patriæ ſponte miniſtrat opem.
Sumptibus en noſtris monumentum grande reſurgit,
Quod, nobis mutis, fama loquetur anus.
Fama loquetur anus, dum ſulcant æquora nautæ,
Pinnigeros Cœtus dum Nova Terra fouet.
Heroes vere validis inſiſtite remis;
Pergite, & hanc Terram ſubdite falce Novam.
Pergite, dum magni peſſum decus ire Columbi
Incipit, aurifera depereunte Peru.
Indica præ noſtris ſordeſcunt aurea cœptis:
Proventus varios nam Nova Terra parit.

AD DOMINVM ROBERTVM NANTON,
Equitem auratum, Regiæ Maieſtati a Conſilijs.

ARGVMENTVM.

Author agit grates *Nantono*; bella quòd erga
Suaſerit *Auſtriacos:* quo nouus ortus *Hymen*.

CV*m ſumus* affines, Cambrenſi ſtemmate iuncti,
Tu quoq; Cambrenſis *iure merere decus.*
Nos mala neſcimus Cambri *ſuſpecta tacere,*
Vera licet Domino *vox aliquando nocet.*
Numinis *auſpicijs te primùm retia ficta*
Pacis, & Auſtriacos *explicuiſſe dolos:*
Publica fama volat, nec mendax, inclite Nanton;
Vndè Britanniacis *gratior ortus* Hymen.
Vndè fauore Dei *gaudemus* fœdere Galli,
Fœdere, quòd renouat lilia mixta roſis.
Hæc prædixiſti conſtanti pectore Regi;
Te tamen invictum ſubdolus odit Iber.
Inde ſupercilij rugam contraxit; vtraq;
Sed tu contentus ſorte, trophæa geris.
Papiniane *ſubis odium, ſed fraudis aperto*
Velo, iam tandem florida palma redis.
Sic ludit Fortuna, Deum Dominumq; *ſalutat*
Temporibus lætis te numeroſa cohors;
Sed levis in tenues mox evaneſcit in auras,
Cum nitidos radios nubila fuſca tegunt.
Iam dignum candore tuo, virtute ſagaci
Clarius aſſurgit quam fuit ante decus.
Ne timeas, animoſe, rotas: *audentiùs ito*
Contra fortunam; *dum tibi vera cano:*
Sanum conſilium tantum iaculatur odoris,
Vt vincat violas, lilia, thura, roſas.

Anni,

Anni, Diuitiæ, vires, elementa terentur,
Viueſcet, nunquam vera terenda fides.

AD DOMINVM RICHARDVM VAVHANNVM vnicum Filium & Hæredem Domini Vauhanni Baronis de Molingar.

ARGVMENTVM.

Quod peregrinando ſe formet *carea pubes*,
Regales Tadas quam celebrare vocat.

A*D* Patruum *commiſſa fuit tutela* Nepotis,
Vt ſaperet, Patruus iura Paterna dabat.
Ne mala *naturam nimis* Indulgentia *laxet*,
Tradidit hac Fratri *munia cura* Patris.
In vitium plerumq; ſolet molliſſima pubes
Flecti, fingatur ni meliore rotâ.
Conſilijs *ni fulta recens retinebit odorem*
Teſta diu mentis, peius olere potens.
Indole te video tanta (Mos tranſit in auras)
Non opus eſt cauto me monitore tibi.
Heſperios *inter* Tropico *vicinior, annos*
Vixiſti puber, Rege monente, *duos.*
Rege monente Fidem te non mutare, *ſed auram,*
Hanc bene ſeruaſti pectore cautus auem.
Indè reuerſus ouas cum Principe, præda *quòd illò*
Lautior, & Regnis latior orta ſuis:
Quod facis, hanc prædam nobis Diuinitus ortam,
Nunc valeant alia, condecorare iuua.

AD

AD AMICISSIMVM DOMINVM GVLIELMVM ELVESTON Scoto-Britannum, Sereniſſimo Regi a Poculis.

ARGVMENTVM.

Infanta memorat metuenda pericula *Tædis*,
Quantaq; det *Regi* commoda *Terra Noua*.

C*Vm* Regem *primum* Rumor *pateſecerit ales*
De Caſtellano conſuluiſſe Thoro:
Obſtupuit grauidis mea mens obnoxia curis,
Torpuit & gelido vis animoſa metu.
Sed qui mirifice rediuiuo reddidit auram
Bis vitæ, ſemel ex fauce vorace maris
Eripiens merſum, nec non me fulguris ictu
Exanimem, fuerit cum mea quaſſa domus:
Me Deus omnipotens *noua littora quærere fecit,*
Littora, quæ fuſe ſquammea turba colunt;
Vt natale ſolum poſthac ſi cogeret atra
Factio, Romani Præſulis *acta ſequi*:
Dicere tum poſſem Muſis; ſeges altera in herba eſt.
Ecce nouos vobis, hoſpita tecta, lares.
Aſt vbi miſſa foret mihi prima Colonia Fratris
Traditur articulis littera ducta mei:
Qua fragiles caſus, & tot diſcrimina rerum,
Commiſſaſq; rati commiſeratus opes,
Suadebat blande tantis deſiſtere cœptis,
Ne fierem ſocijs fabula nota meis.
Sed Deus *ille* Deus *vetuit parere monenti:*
Magnanimis ſedes eſt vbicunq; bene.
Annos pugnaui binos, vt miles anhelus,
Excubijs nec me qui leuet, vllus erat.

Non

Non Mercatores, *mihi nec* Reſpublica *fautrix*,
Non Rex *tantillum ſuppeditabat opis*.
Fortuna oppoſui tamen imperterritus auſis,
Suſtinui ſolus tam graue faſcis onus:
Donec Guaianæ Prædo Raleanus ab Oris,
Terrebat rediens me vigilare nimis.
Paulò poſt Regis Noua Terra *innotuit* Aulæ,
Falklando *Partem*, Fratre monente, *dedi*,
Caluertoque, *quibus verè* Magnatibus *omen*
Fauſtius accreuit; *noſtraq́; Fama viget*.
Quamuis iam nobis non, Elueſtone, *nocebat*,
De Caſtellano conſuluiſſe Thoro:
Linquere Cambriolam *vetat experientia cana*,
Vndè tot emergant commoda mille modis;
Scilicet externæ merces, ſal, nautica, piſces,
Iſta labore breui, quæ Noua Terra parit.
Vſque adeo curis immiſcuit vtile noſtris,
Fauſtior Imperio, quo bene cedat Hymen.
Hac ſi ſignifices Regi, *mihi crede faceſſes*
Officium dignum teq́; tuaq́; fide.
Vt de Blaſphemis Rheni Regina *fugandis*
Olim legit Opus, *te mediante*, *meum*.
Sic nunc Albionis *cum reſplendeſcis in* Aulâ,
Hoc tibi non parui pondus honoris erit:
Quòd Rex magnanimus res geſtas Numine dextro
Audiat à Cambro Cambriolamque ſatam.

ELEGIA CAMBRIOLÆ ad ORPHEA *Juniorem*.

Iure clientelæ *Noua Cambria* ſuadet *Alumno*,
Caroleo mundum participare melo.

C*Vi ſeruas*, Orpheu, *librum, quem* Regia virtus
Pangere te monuit verſicolore melo?
Quid? rodenda ſines tineis monumenta laborum?
Muſarum *ſcelus eſt dona perire pati.*
Cætera flacceſcunt. Vbi nunc Phœbæa Coloſſus?
Turris *vbi* Pharia *eſt? Nunc vbi* Templa Iouis?
Rudera vix Troiæ *remanent; ſed* Colchida *priſcam*,
Et Mauſolæum *quis tibi monſtret Opus?*
Vix conſtat qua parte, Poli *ſteterintq́; ſub* axe;
Tempore ſordeſcunt, quæ modo luce nitent.
Quin neque tantorum ſine Vatibus *vmbra vigeret;*
Liberat è Lethes *nobile* Carmen *aquis.*
Deperenut quercus, ſilices, & Marmore ſtructa,
Dona ſed ingenij *poſthuma fama canet.*
Quicquid luſiſti magni pro Regis honore
Ede, tuiſq́; faue, dum tibi Parca *fauet.*
Non te delectat caprifici prodere fructum,
Ingenij furias aut agitare leues.
Nec tibi bullatis inſurgit Pagina *nugis*,
Chærilus *hæc; modico tu ſtruis ore ſonos.*
Publicus hos nobis modulatos prome, nec atras
Reſpice cenſuras, quas mala turba boat,
Inclita priſcorum ceſſerunt tempora Vatum,
Solaq́;, ceu vidua, Turba Nouena *iacent.*
Ebrietas, Lites, Luxus, pro Numine Trino
Sunt tria, quæ voto mundus emace petit.

Quor-

Quorſum iſthæc? tragicos morum vehementer abuſus
Ingero vulgandos, mitis amice, tibi.
Quod facis, ah probibe: non eſt quòd fulmina cures;
Sufficiet remum te poſuiſſe tuum.
Flexile verſificum triuiali carmine Vulgus
Indignos Proceres tollere ad aſtra ſtudet;
Scilicet vt lucrum captet, quaſi fucus, ineptè
Colligit ex alijs mellea ſcripta fauis.
O fœlix, qui non ſitit emolumenta, nec aurum,
Sed reputat Muſas proſtituiſſe nefas.
O fœlix, qui non, vt Eroſtratus alter, acumen
Perfricat, vt vanum linquat in orbe decus.
Tuq́ etiam fœlix: qui profers Colchida Regi,
Quam Salamina vocas & Salomonis Ophir.
Pergito Caroleas Tædas depromere, Cambros
Exornare tuos, & lacerare dolos.

AVTHORIS CONCLVSIO AD LECTOREM.

ARGVMENTVM.

Spes alit Authorem de Regis Fœdere, ſannas
Calcat. Cur panxit carmina plana, refert.

MIraris ſi fortè nouem gaudia Muſas
Diſſona Caroleis exagitare modis:
Sic animos Regum voluit diſponere Numen,
Vt Res ancipites penſicularet Hymen.
Iſtas componet ſub eodem tegmine, turmas
Diuerſas vnâ Qui ſtatione locat.

Tem-

Cambrenſium Caroleia.

Tempore verſicolor mundus pacabitur, imbres
Marmoreum lapidem ſæpe cadendo terunt.
Vt concreta diu glacies reſoluta calore,
Saxea conſilij Cærea *mens* ſit ope.
Si quid habent *Aloes*, vel amari *Carmina* fellis,
Me Medicum Vatem publica cura facit.
Non *Legiſtarum* ſannas, nec curo lituras,
Vos flocci-facio, *Gens odioſa Deo.*
Parui pendo minas *Minoum*, nam munior extrà
Ægide Carolea, Palladis intus ope.
Seſquipedem potui *ſplenem* vulgare *Camœnis*,
Aut *Labyrinthæum* prodere *Sphynga* tibi;
Sed tranſire tuas ſatis intellecta per aures
Iucundis mallem carmina vincta ſonis.
Seria *Socratico* depinxi mixta lepore;
Pragmata non Angli ni variata probant.
Cùm *mea* tam plano prodant, tam ſimplice cultu,
Commentariolus non tibi, *Lector*, erit.
Sin magis arrident fucatæ murice veſtes,
Cambrorum tenues linque, *ſuperbe*, caſas.

FINIS.

De auſpicatiſſimo *Cambrenſium Caroleiorum* AVTHORE.

ORphea *quid* Vatum *ſeniorem prædicat* Argos?
Cambria diuino Vate *beata magis:*
Camber Caroleos *ſeu ludit arundine verſus;*
Nectit Serta *tuis ſine*, Maria, *comis:*
Phœbo *dignus erit, fies*, Rex Carole, Phœbus,
Laudibus aucta ſuis & tua Daphnis *erit.*

Stephanus Berrier.

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION